R.P. LAURENTII ALTICOTII CORTONENSIS ... DISSERTATIO...

Lorenzo Alticozzi, Carlo Grandi, Giacomo Migliaccio

DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE ANTIQUIS
NOVISQUE MANICHÆIS.

R. P. LAURENTII
ALTICOTII
CORTONENSIS
SOC. JESU PRESBYTERI
DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE ANTIQUIS, NOVISQUE MANICHÆIS.



ROMÆ MDCCLXIII.
EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI
Superiorum permissu.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

Ratio, quæ me ad hanc scribendam de veteribus, novisque Manichæis Historico-Criticam Dissertationem impulit, ea, Lector Amice, fuit, quòd cum posterioribus meis tribus libris Augustinianæ Summæ tres præmiserim Præfationes, quarum prima Pelagianam, altera Semipelagianam, tertia Prædestinatianam historiam complectitur, hæ non prorsus ineptæ, nec importunæ ad hæc nostra tempora visæ nonnullis sunt, in quorum manus venerunt. Itaque, qui apud me & auctoritate, & benevolentia, & gratia plurimum valent, ut in conscribendis hujusmodi dissertationibus, quarum potissimum in Sancto Augustino, cujus me perstudiosum intellexerunt, præclarissima monumenta sunt, operam meam collocarem, vehementer sunt cohortati. Horum igitur studiis obsequens Manichæorum historiam arripui, ad quam comparandam non consectatus sum rivulos, sed fontes ipsos adivi, e quorum nitidissimis aquis puriorem veritatem haurirem. Præter enim profanos Scriptores, præter rerum Ecclesiasticarum historicos, Eusebium, Socratem, Theodoretum, Petrum Siculum, Photium, Baronium, Natalem Alexandri, Tillemon-

tium, quibus adde Possidium Calamensem, & præclarioris memoriæ Bossuetium, usus sum tanquam certissimis testibus Archelao, Athanasio, Tito Bostrensi, Epiphanio, Cyrillo Hierosolymitano, Augustino, Leone Magno, Damasceno, aliisque similibus. Quoniam vero non de veteribus, sed de novis etiam Manichæis, seu de Manichæorum successoribus agere institui, quales fuerunt prædestinatiani Cathari, seu Albigenses, qualesque censeo Lutheranos, Calvinianos, & Jansenianos; de Albigensibus quidem V. Moneram a RR. P. V. C. Richinio S. P. A. M. e tenebris in lucem editum, & præclarissimis adnotationibus illustratum consului; de Lutheranis vero Lutherum ipsum, & Volfium; de Calvinianis Calvinum; de Jansenianis ipsum Jansenium conveni, quorum adhibitis testimoniis, id quod mihi proposueram, nimirum non vetustatem modo, sed perpetuitatem etiam hæresis Manichææ demonstrarem. Dixerit hic fortasse quispiam, hac via, & ratione Manichæorum hæresi Ecclesiasticam ferè traditionem adscribi, quod nefas dictu est, & religionis fundamenta convellit. Ad hæc respondeo, si sola vetustas & perpetuitas ad traditionem sufficeret, dicendum esset, errores omnes, vitiaque omnia, quæ ab origine mundi, post Adæ lapsum, usque ad hæc nostra tempora in universum hominum genus invaserunt, ad traditionem Ecclesiæ pertinere. Itaque præter vetustatem, atque perpetui-

petuitatem ad rationem traditionis requiritur, primùm veritas & sanctitas doctrinæ traditæ; item Dei loquentis auctoritas; rursum auctoritas hominum, tum eorum, quibus talis doctrina divinitus tradita est, quales fuerunt Apostoli, tum eorum qui his successerunt, quales episcopi sunt, qui viva voce perpetuo propagarunt, suisque posteris tanquam per manus acceptam doctrinam, disciplinamque tradiderunt. Præterea ad traditionis rationem discrepantia nulla, quinimo summa est necessaria conformitas cum verbo Dei scripto, bonisque moribus; tandem universalis Ecclesiæ auctoritas doctrinam traditam acceptantis, custodientis, & propugnantis. Notionem Ecclesiasticæ traditionis his verbis exhibet Augustinus lib.2. de Bapt. contr. Donat. cap.7. n.12. tom.9. *Multa, quæ non inveniuntur in litteris Apostolorum, neque in Conciliis posteriorum; & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, nonnisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur.* Et iterum lib.4. de Bapt. contr. Donat. cap.24. num.31. tom.9. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.* Præterea de inveterata illa consuetudine, sine iteratione baptismi, recipiendi ritu christiano baptizatos hæreticos, qui se ad Ecclesiam referunt, sicut de aliis multis hæc S.Doctor habet lib.5. de Baptis. contra Donatist. cap.23. num.31. tom.9. *Consuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano*

priano, ab Apostolorum traditione exordium sumpsisse credenda est; sicut sunt multa, quæ universa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quamquam scripta non reperiantur. Jam vero nec antiqui gentiles, nec eorum philosophi, nec antiquiores hæretici, nec Scythianus, nec Terebinthus, qui Manichæorum prolusores fuerunt, nec Manichæus ipse, nec Pauliciani, nec Albigenses, nec Lutherani, nec Calviniani, nec Jansenianí, Manichæorum successores, ullam omnino in Ecclesia Dei obtinent auctoritatem. Horum vero doctrina falsa, impia, nefaria, atque pestifera est, bonisque moribus, & verbo Dei scripto prorsus contraria. quam Christi Ecclesia non modo unquam non acceptavit, non custodivit, non propugnavit, verum etiam universalibus, solemnibus, publicisque exsecrationibus semper est detestata. Quocirca exsecranda hæc doctrina nec habet, nec habere potest auctorem Deum, & Christum Dominum, nec doctores primos Apostolos, nec ejusdem propagatores, Apostolorum successores, episcopos. Itaque tantum abest, ut hæresis Manichæa, quamvis diuturna sit & pertinax, ad Traditionem Ecclesiæ pertineat, ut potius a catholica Traditione longissimè distet, & perquammaximè abhorreat. Hæc habui, de quibus te præmonitum volui, Lector Amice, Vale.

LAU-

IV

LAURENTIUS RICCI

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUM librum a P. Laurentio Alticotio Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, cui titulus, *Dissertatio Historico-Critica de antiquis, novisque Manichæis*, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis ad quos pertinet ita videbitur. Cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 20. Februarii 1763.

Laurentius Ricci.

IMPRI-

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

D. Jordani Archiep. Nicomed. Vicesg.

APPROBATIONES.

Dissertationem Historico-Criticam de antiquis novisque Manichæis Laurentii Alticotii Cortonensis Soc. Jesu Alumni, Viri non morum gravitate solum, & Religiosi Instituti professione clarissimi, sed & datis non semel publicæ utilitati, atque commodo Libris, jubente Reverendissimo Patre Thoma Augustino Ricchini S. P. A. Magistro, quum attentè, & qua par est, diligentia legissem, fateor me in illa nil offendisse, quod sinceræ Christi Domini Religioni, aut rectis morum regulis repugnet. Et si fortasse videri poterit nominis usurpatione minus propria Manichæismi fines justo latius in ea protendi, suis tamen ductus rationibus studiosus Auctor illud molitur. Quam ob rem ea sumus in opinione Dissertationem eamdem tuto posse typographorum arte in publicum evulgari.

Datum Romæ in ædibus S. Silvestri Montis Quirinalis, VIII. Id. Feb. A. R. S. MDCCLXXII.

Antonius Franciscus Vezzosi C. R.

Disser-

DIssertationem Historico-Criticam de antiquis novisque Manichæis, scriptam ab A. R. P. Laurentio Alticotio Cortonensi S. J. P., jubente Reverendissimo P. Magistro Sacri Palatii, attento animo legi. In falsi antiqui dogmatis enarratione, in illius auctoribus primis reperiendis, novisque retegendis fautoribus, in Ecclesiasticis, Cæsareisque adversus dogmatistas eosdem latis legibus recitandis, nihil fere diligentissimus Auctor exhibet, quod non ab ipsis fontibus hauserit; quare non oblectationi modo, sed illorum potissimum consuluit utilitati, quorum interest, historiam Ecclesiæ novisse. Quapropter dissertationem illam, prorsus Orthodoxæ Fidei, probisque moribus non adversam, publica luce dignam censeo, si ab iis, ad quos pertinet, illius edendæ facultas accesserit.

Romæ in Cœnobio ad SS. XII. Apostolos Idib. Decembris MDCCLXII.

Fr. Laurentius Savorini Min. Conv. S.T.M.
Publicus Philos. Prof.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Augustinus Ricchini Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apostolici Magister.

IN-

INDEX CAPITUM.

R. P.

LAURENTII ALTICOTII

CORTONENSIS

SOCIETATIS JESU PRESBYTERI

DISSERTATIO

HISTORICO-CRITICA

De Antiquis, Novisque Manichæis.

CAPUT I.

De antiquis Gentilibus Manichæorum Præcursoribus.

I. CUM infinitis calamitatibus, gravissimisque malis se oppressos, ac pene dimersos antiqui Gentiles animadverterent, causam inquisiverunt, ex qua tot tantaque mala in universum hominum genus profluerent. Cum autem nefarium impiumque dictu putarent, Deum summe bonum, quem natura monstrante non ignorabant, malorum omnium quibus affligimur, auctorem esse, in eum errorem facili lapsu irruerunt, quo crederent, sempiternam quamdam naturam malam existere, ex qua mala omnia ad nos fluerent, atque emanarent. *Si nihil absque causa fit* (1), inquit Plutarchus, *& mali causam bonum non præbet, necesse est in natura, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, suumque principium existere. Existimant enim alii, duos Deos esse, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala*

Gentilium veterum error de æterna natura mala, omnium causa malorum.

A

(1) Plutarchus lib. de Iside, & Osiride col. 2. p. 314.

mala opera efficiat. Alii vero, qui est melior, Deum: qui deterior, Dæmonem dicunt. Hinc apud Gellium (1) nomina illa, divinusque cultus Jovis, atque Vejovis, quorum alter a juvando, alter vero a non juvando, quinimmo a nocendo ab antiquis gentilibus his nominibus sunt appellati. *Cum Jovem*, inquit, *a juvando nominassent, eum quoque contra Deum, qui non juvandi potestatem, sed vim nocendi haberet (nam Deos quosdam, ut prodessent celebrabant; quosdam ne obessent placabant) Vejovem appellaverunt, dempta atque detracta juvandi facultate. Simulacrum igitur Dei Vejovis, quod est in æde inter Arcem & Capitolium, sagittas tenet, quæ sunt paratæ ad nocendum.* Ad Christiana usque tempora falsam hanc opinionem apud Gentiles invaluisse testis est Arnobius (2), quos alloquens, *Dici a vobis*, inquit, *accepimus, esse quosdam ex Diis bonos, alios autem malos, & ad nocendi libidinem promptiores: illisque ut prosint, his vero ne noceant, sacrorum solemnia ministrari.* Neque vero absona illa opinio, de bonis malisque Diis, malorum his, bonorum illis auctoribus, quorum mali placandi, ne noceant; boni colendi, ut prosint, ex Gentilium animis, qui Augustini ætate Christianos inter adhuc versabantur, deleta penitus erat. *Nonnulli putant* (3), inquit S. Doctor, *Deos malos sacris placandos esse, ne lædant: bonos autem, ut adjuvent, invocandos.*

Jovis, & Vejovis, Deus bonus, & Deus malus apud Gentiles veteres.

II. Antiquissimorum Gentilium Persarum Magi, Zoroastre auctore vel potius instauratore, non Manichæorum modo præcursores, sed etiam duces, multis ante sæculis, se præbuerunt. Quod enim ad Zoroastrem pertinet, multæ de ejus ætate, de nomine, de ortu, de vita, de interitu, de rebus scriptis & gestis narrantur fabulæ. De quo præcla-

(1) Gellius lib. 5. Noct. Attic. cap. 12. (2) Arnob. contra Gentes lib. 7. pag. 226. edit. Paris. an. 1605.
(3) Augustin. lib. 8. de Civit. Dei cap. 13. tom. 7.

præclarè Chrysostomus (1), *Quamnam enim ob causam*, inquit, *Zoroastrem illum, itemque Zamolxim de nomine quidem multi, imo vero nulli nisi admodum pauci norunt? Nonne quoniam figmenta erant, quæ de illis circumferuntur omnia?* Certum tamen exploratumque videtur, commemorantibus scriptoribus multis, hominem nescio quem extitisse, qui Zoroastris nomine celebrabatur. Hunc Perso-Medum fuisse, & Darii Histaspis temporibus floruisse, cui Magiæ apud Persas introductio, Magorumque religionis instauratio, scripta quoque, quæ Zoroastris nomine laudantur, attribui solent, non improbabile, nec temerè rejiciendum (2) Jacobus Burkerius existimat. Et quidem Medo-Persam (3) Clemens Alexandrinus Zoroastrem facit. *Persis Magos Philosophiæ fuisse auctores*, scribit (4) Laertius, *quorum Principem fuisse Zoroastrem Persen memoriæ proditum est*. Zoroastris sententiam, & instituta de duobus principus, quorum unum bonorum omnium, alterum omnium malorum sit auctor, his persequitur verbis (5) Plutarchus. *Existimant alii duos Deos esse, quasi contrariis deditos artibus, ut bona alter, alter mala opera officiat. Alii, qui est melior, Deum; qui deterior, dæmonem dicunt. In qua sententia fuit Zoroastres magus, quem narrant quingentis annis antiquiorem bello Trojano extitisse. Is ergo Zoroastres melioris nomen Oromazem, pejoris Arimanium perhibuit. Illum maxime similem esse luci, hunc tenebris & ignorationi. Medium horum esse Mithram* (Solem). *Quæ causa est, quod Mithram Persæ Mesiten, idest, Mediatorem, seu intermedium nuncupant. Docuitque votivas, & pro gratiis agendis oblatas victimas illi im-*

Zoroastres Perso-Medus, ætate Darii Histaspis Persarum Philosophus duos Deos docuit, bonum, quem Oromazam, malum, quem Arimanium dixit; hisque medium Mithram, nempe Solem.

(1) Chrysost. lib. de S. Babyla contra Gentiles pag. 732. dit. B. tom. 1. edit. Front. Ducæi. (2) Jac. Burck. lib. 2. Hist. Phil. cap. 2. de Phil. Chald. pag. 122. tom. 1.
(3) Clem. Alexand. Stromat. lib. 1 pag. 334. (4) Laertius de Vit. Philos. pag. 7. (5) Plutarch. lib. de Iside, & Osiride colum. 1. pag. 212.

meleades, huic averruncandi mali causa institutas & tetricas. Oromazen natum ajunt e luce purissima, Arimanium e caligine. Eos bellum inter se gerere.

Magi Persarum nempe Philosophi, & sapientes duo principia docebant, bonum, dæmonem, & malum dæmonem: Horomasdem, & Arimanium: Jovem, & Plutonem.

III. Jam vero ad Persas Magos me refero, quorum nomen apud eos virtutis erat, & laudis; & illud idem significabat, quod apud Græcos Philosophus, & apud Latinos Sapiens. Hi duo esse principia docebant, bonum, a quo bona omnia; & malum, a quo mala omnia proficiscuntur. Principium bonum, & bonum Dæmonem, & Jovem, & Horosmadem appellabant: contra vero principium malum, & malum Dæmonem, & Plutonem, & Arimanium dicebant. Ita (1) Laertius, productis locupletissimis testibus Aristotele, Hermippo, Eudoxo, Theopompo. *Ægyptiis*, inquit, *antiquiores esse Magos Aristoteles auctor est in primo de Philosophia libro: duoque juxta illos esse principia, bonum dæmonem, & malum dæmonem. Alterum ex his Jovem, & Horomasdem; alterum vero Plutonem, & Arimanium dici: quod Hermippus quoque in primo de Magis ait, atque Eudoxus in Periodo, & Theopompus octavo Philippicorum libro.* Quæ vero ad religionem, divinumque cultum, quæ ad instituta, quæ ad mores, quæ ad disciplinam, quæ ad victum cultumque corporis Magorum Persarum pertinent; quoniam nonnulla ex his Manichæus in suam transtulit impiam pariter & ridiculam fabulam, placet hic ex commemorato supra (2) Laertio describere: *Magos*, inquit, *Deorum vacare cultui, & preces illis ac vota, & sacrificia, quasi soli ab his exaudiantur, offerre: de Deorum substantia, & generatione disserere; quos item terram, & aquam, & ignem esse arbitrentur: signa statuasque reprehendere, & eorum in primis, qui mares esse Deos, ac feminas dicant, errores improbare. De Justitia verba facere, iniquumque arbitrari igni sepelire* (mortua cremare corpora. Ignem

Magorum Persarum religio, mores, & disciplina.

(1) Laertius de Vit. Philos. pag. 10. (2) Idem ibidem pag. 9, & 10.

Ignem enim ut magnum Deum venerabantur) *Jusium matri, & filiæ misceri. Divinationem præterea, prædictionesque exercere, sibi Deos apparere asserentes: plenum esse dæmonibus aera, qui tenuiter, ac veluti evaporatione cernentium oculis insluant: exteriorem cultum, & auri usum interdicere. His autem vestis candida, lectus humus, esca olus, caseus, panisque cibarius est. Arundine pro baculo utuntur, cujus in summitate præfixum caseum ori applicantes manduant.*

Magi Persarum Sacerdotes Mithræ, seu Solis.

IV. Sacerdotes Solis, quem Mithram Persæ appellabant, fuerunt Persarum Magi. Hinc illa contra Manetem (1) Archelai verba, *Barbare Sacerdos Mithræ, & collusor, Solem tantum coles, Mithram locorum mysticorum illuminatorem, ut opinaris, & conscium, hoc est quod apud eos ludes, & tanquam elegans mimus perages mysteria.* Etenim apud Persas, eorum Magis auctoribus, tria erant suprema Numina Mithra, Horomasdes, & Arimanius. Ignem enim, cui publica templa excitaverant, quę Pyrea dicebantur, non separabant a Sole, cujus eadem cum igne natura est. At Mithra, teste quem supra dixi Plutarcho, mesites erat, idest, mediator, seu intermedius inter duo Numina adversa, Horomasdem & Arimanium, tanquam duplicis contrarii principii vim potestatemque mitigaret. Quod autem a Plutarcho dicitur Horomasdes natus e luce purissima, Arimanius contra e caligine, non est ita accipiendum, quasi alter lucis, alter caliginis filius fuerit; quoniam hæc duo contraria numina apud Persas erant æterna, ingenita & improducta principia. Itaque Horomasdes natus dicitur e luce purissima, quod purissima luce constaret; Arimanius vero e caligine natus, quod e caligine tenebrisque consisteret: Neque vero obstat his testimonium illud Theodori Mopsuesteni, quod est apud (2) Photium de Persica

Horomasdes, Arimanius, Mithra, seu Sol tria Persarum numina.

(1) Archel. apud Zacagn. collect. Ecclesiast. tom. 1. num. 36. pag. 63. (2) Phot. Biblioth. Cod. LXXXI.

fica Magia, ubi narratur, *Nefandum Persarum dogma, quod Zastrades induxit: sive de Zarvam, quem principem omnium facit, & Fortunam appellat. Hunc libatione oblata, ut Hermisdam gigneret, & illum, & Satanam praeterea genuisse; de eorum insuper sanguinis commistione*. Hæc enim, ut monet hic V. C. Andræas Schottus S. I., Latinus editor Photii, non sunt Persarum, sed Gnosticorum deliria ex conficto ab ipsis revelationum Zoroastris libro petita. Quare mirum esse non debet, si Theodorus Gnosticorum fabulas pro religione Persica, a Gnosticis venditatas, internoscere nequaquam potuit. Hæc dixerim contra (1) Jacobi Bruckerii sententiam contendentis Persarum Magos unum supremum Deum constituisse, primum verum omnium auctorem: quos jure dualistas, quod duo contraria principia æterna, & ingenita admiserint, (2) Baylius appellat.

CAPUT II.

De antiquis Philosophis, & Hæreticis Manichaeorum Praecursoribus.

V. EX antiquorum Philosophorum placitis errores suos decerpsisse cum Scythianum, qui se Maneti non comitem, sed ducem præbuit, tum Manetem ipsum testes permulti sunt. Ex his (3) Archelaus Mesopotamiæ Episcopus, qui cum Manete in concione frequentissima disputavit, narrat Scythianum præcursorem Maneti adversa duo boni, & mali principia ex Pythagora didicisse: & hujusmodi dualitatis defensorem se exhibuisse: *Scythianus*, inquit, *dualitatem istam introducit contrariam sibi, quod ipse a Pythagora suscepit, sicut & alii omnes hujus dogmatis sectatores, qui omnes duali-*

(1) Jac. Burck. Histor. Philos. tom. 1. lib. 2. cap. 2. de Phil. Chald. pag. 122. (2) Petr. Bayl. Dict. Crit. tom. 4. art. de Zoroastre not. F. (3) Arch. apud Zacagn. Collect. Ecclesiast. tom. 1. num 51. pag. 96.

litatem defendunt. Idipsum de Scythiano testatur V. C. (1) Tillemontius, quem ab Aristotele, & Pythagora multa absona decerpsisse, maxime vero ab Empedocle duo æterna principia constituisse, bonum, a quo bona omnia; & malum, a quo mala omnia emanarent. Accedit eodem (2) Socrates, qui de Manichæo, & Scythiano scribens, *Tunc temporis*, inquit, *Manichæus quidam Empedoclis gentilis philosophi dogma in Christianam Religionem clam inducere tentavit. Ita enim intelligetur quis, & unde profectus Manichæus ad tantam audaciam proruperit. Scythianus Empedoclis, ac Pythagoræ opinionem in Christianam Religionem invexit. Duas enim asseruit esse naturas, alteram bonam, alteram malam, perinde atque Empedocles, qui malam quidem naturam discordiam, bonam vero amicitiam appellavit*. Singulorum animas hominum particulas esse divinæ naturæ Stoicos philosophos primum, deinde Manichæos docuisse auctor est (3) Hieronymus, qui se de origine animæ consulentibus hæc descripsit, *Super animæ statu memini vestræ questionis: Utrum lapsa de cælo sit, ut Pythagoras philosophus, omnesque Platonici, & Origenes putant. An a propria Dei substantia, ut Stoici, Manichæus, & Hispana Priscilliani hæresis suspicantur*. In hac eadem sententia, quam Manichæus arripuit, fuisse Phythagoram, Pythagoricosque (4) Tullius Stoicorum omnium acerrimus affirmat, & probat: *Audiebam*, inquit, *Pythagoram, Pythagoricosque, incolas pene nostros, qui quondam essent Italici philosophi nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente divina delibatos animos haberemus*. Animarum vero transmigrationem, quæ Metempsychosis a Græcis dicitur ab uno corpore in aliud, & docuisse Manetem, & ab antiquis Philosophis acce-

Philosophi antiqui Pythagoras, Empedocles, Plato, Zenon, Stoici Manichæorum precursores.

(1) Tillemon. Hist. Ecclesiast. tom. 4. ad an. Christi 164.
(2) Socrat. Histor. Ecclesiast. lib. 1. cap. 22. (3) Hier. ad Marcel. & Anapf. epist. apud August. 165. cap. 1. n. 1. tom. 2.
(4) Cic. de Senect. pag. 369.

accepisse testis est (1) Epiphanius, *Animarum ex aliis in alia corpora transitus Manes edisserit. Quod mendacium a Platone, vel Zenone Stoico, vel quopiam alio ex phanaticis illis corrogasse videtur.*

VI. Præteritarum hæresum sordes fere omnes in Manichæam hæresim confluxisse docet (2) Hierosolymitanus Cyrillus, quo teste, Manes ex superioribus sibi hæreticis incredibiliores absurditates collegit, quibus suam contexuit, atque in scenam produxit non minus impiam, quam ridiculam fabulam: *Impiissimus Manes omnium hæreseum*, inquit, *vitia collegit: ipseque ultimum perditionis barathrum existens omnium simul hæreticorum deliramenta complexus, recentiorem confecit, & prædicavit errorem.*

Hæretici antiqui Basilides, Carpocrates, Cerdon, Marcion, Apelles, Gnostici Manichæorum præcursores.

Enumerat (3) Augustinus antiquiores hæreticos, qui per diversorum errorum avia, & abrupta facem quodammodo Manichæo prætulerunt, Basilidem, Carpocratem, Cerdonem, Marcionem, Apellem, cujus hæc verba sunt: *Quartus existit Basilides, qui primus apertius ausus est dicere, Deum, quem gens Judæa coluit, non fuisse verum Deum. Post istos fuit etiam quidam Carpocrates, qui negavit istum visibilem mundum a summo Deo creatum, sed a quibusdam virtutibus dæmonorum, negans etiam Legem, quæ per Moysen data est, Deum dedisse. Cerdon postea surrexit, qui primus invenitur dixisse duos Deos, unum bonum, alterum malum, antequam hæresis Manichæorum emersisset, quorum in hac furiosa deliramento error est notior. Hujus Cerdonis Marcion discipulus fuit. Apelles quoque talia docuit.* De Cerdone duos contrarios Deos constituente, altero sævo & malo mundi hujus opifice, altero bono & tranquillo sine ulla rerum nostrarum cura hæc (4) Tertullianus habet; *Cerdon introduxit initia duo, idest, duos Deos, unum bonum, alterum sævum;*

(1) Epiphan. lib. 2. adversus Hæres. hæresi 66. num. 55.
(2) Cyril. Hierosol. edit. Toutee Catech. XVI. num. 9.
(3) Aug. lib. contra advers. Leg. & Prophet. cap. 12. num. 39. tom. 8.
(4) Tertul. de Præscript. cap. LI.

ſævum: bonum, ſuperiorem; ſævum huac, mundi conditorem. Similia de Cerdone (1) Epiphanius tradit, de quo, *Duo*, inquit, *perinde atque alii, principia ſtatuit, ac Deos videlicet duos, bonum alteram, & ignotum omnibus, quem & Patrem Jeſu nominavit: alterum creatorem malum, & cognitum, qui in lege locutus, & Prophetis apparuit, ac ſe videndum ſæpenumero præbuit*.

VII. Marcion Cerdonis diſcipulus, poſitis duobus principiis ingenitis, & æternis, bono uno, altero malo, liberum arbitrium hominis conſecutione legitima ſuſtulit, quem idcirco abſtinere poſſe a peccato negavit, quod præter animam particulam principii boni, conſtaret etiam corpore, tanquam fruſtulo principii mali, ſeu malitiæ principis, a quo nequeunt niſi flagitia, & malefacta erumpere. At hæc eadem poſt Marcionem, teſte Athanaſio, cum Apollinari Manichæus docuit, *Sed iterum*, contra Apollinarem (2) Athanaſius inquit, *obiicitis: Ecqua ratione poteſt natura, quæ in conſuetudine peccati edita eſt, & quæ peccati ſucceſſionem excepit, abſque peccato eſſe? Hæc & Marcion ſenſit: hanc & Manichæus induxit ſententiam, qui cornem hominis, ipſamque generationem ſub malitiæ principa conſtituit, ipſique dominatoris titulum adſcripſit*. Præter ſuperiores abſurditates, verum Chriſti Domini Corpus, poſt Marcionem, & Apollinarem, Manichæus negavit; docuitque inanem dumtaxat ſpeciem, fictumque corporis ſimulacrum noſtris oculis Chriſtum Dominum exhibuiſſe, quod indignum putaret Filium Dei hominis corpus adiunxiſſe ſibi, cujus natura mala eſſet, utpote excerpta ex principio malo. *Quid enim aliud*, iterum in Apollinaris confutatione (3) Athanaſius, *dixit Marcion, quam quæ vos profertis? Nonne corpus, quod e cælo apparuit in ſimilitudine humana, non in veritate? Quid*

B *item*

(1) Epiph. Hæreſ. 41. (2) Athan. lib. 2. contra Apolinar. num. 8. pag. 945., & 946. par. 2. tom. 1. (3) Athan. lib. 1. contra Apollinar. num. 10. pag. 932. par. 2. tom. 1.

item aliud locutus est Manichæus? Nonne divinæ specie corpus, sola similitudine corpus, ab humana carne alienum: cujus naturam, & non operationem peccatum impiè affirmat? Hujusmodi est illorum impietas. His adde Gnosticos, a quibus capitalissimos errores suos Manichæum hausisse, atque idcirco Manichæorum præcursores eos fuisse certum sit atque exploratum. Testem de Gnosticis (1) Augustinum produco, de quorum erroribus hæc posteritati mandavit. *Animarum substantiam Dei dicunt esse naturam, earumque adventum in hæc corpora, & reditum ad Deum iisdem suis fabulis secundum suos errores inferunt. Dicuntur quoque bonum Deum, & malum Deum in suis habere dogmatibus.*

CAPUT III.

De Scythiano Manichæorum Præcursore.

Scythianus Saracenus, Gentilis, natione Arabs, domicilio Ægyptius, Manichæorum præcursor.

VIII. Ex S. Cyrillo Hierosolymitano, ex S. Epiphanio Salaminensi, ex S. Archelao Mesopotamiæ episcopo, ex Socrate, ex Photio, ex Tillemontio Scythiani historiam depromo. Quod Scythianus nomine, quod genere Saracenus, quod superstitione Gentilis is fuerit, in id omnes fere ad unum consentiunt. Quod ad patriam Scythiani pertinet (2) Epiphanius in finibus Palæstinæ natum, & in Arabia educatum tradit. Tillemontius (3) de expolita historia Ecclesiastica optime meritus parum discrepat ab Epiphanio, quod Scythianum ex Arabia proxima Palæstinæ perhibet prodiisse. Dicendum igitur est Scythianum natum esse in Arabia, quam tunc temporis Saraceni incolebant. At vero ab Archelao (4) accepimus ex Scythia Scythianum eru-

(1) August. de Hæres. ad Quodvultdeum Hær. V. tom. 8.
(2) Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 1.
(3) Tillemont. Histor. Ecclesiast. ad an. Christi 264.
(4) Archel. Act. Disput. num. 51. pag. 95. apud Zacagn. tom. 1. Collect. Ecclesiast.

erupisse. Zacagnius in suis eruditis adnotationibus ad hunc Archelai locum, peccatum in eo censet a librariolo, quod transcribendo Scythiani nomine, ut solet contingere, priores literas ingeminaverit, nec deinceps deleverit: atque id ansam errandi dederit sequentibus librariolis: eoque magis quod paulo infra ex Saracenorum genere Scythianum fuisse Archelaus (1) affirmat. Constat autem ea ætate Saracenos non Scythiæ, sed Arabiæ fuisse incolas. Photius (2) ex diuturno forsitan Scythiani domicilio in Ægypto, Ægyptium patria Scythianum narrat. In constituenda Scythiani ætate gravior est quæstio. Archelaus (3) Apostolorum tempore extitisse: Epiphanius (4) Apostolorum tempore Hierosolymam advenisse: Tillemontius (5) anno Christi CL Scythianum vixisse scribit. Hæc autem constituendæ Manetis ætati, de qua loco suo agendum, repugnare videntur. At si dicamus Scythianum exeunte sæculo primo natum, quando Johannes ultimus Apostolorum decessit: & medio secundo sæculo Hierosolymam advenisse, cum plures Apostolorum discipuli essent superstites, quorum Jacobi successor annorum CXX Simeon Hierosolymæ episcopus obiit: eaque tamquam Apostolica tempora usurpabantur, omnia inter se facile conciliantur.

Scythianus exeunte Sæculo I natus, medio Sæculo II Hierosolymam venit.

IX. Ab (6) Epiphanio accepimus Scythianum pretiosis Arabum, Indorumque mercibus abundasse. quem opibus locupletissimum (7) Archelaus refert. Is non otiandi, sed negotiandi ut arbitror causa Hypselen superioris Thebaidis oppidum, ut (8) Epiphanius narrat, se contulit, ubi (9) Socrate, Arche-

Scythianus opibus abundans in Ægyptum venit, ubi servam, & meretricem duxit uxorem, Græcis, Ægyptiis, & Christianis literis præditus, Indorumque præstigiis, quatuor edidit libros, Evangelium, Capitulorum, Mysteriorum, Thesaurum.

(1) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96. apud Zacagn.
(2) Phot. Histor. Manich. pag. 354. apud Muntfaucon Biblioth. Coislin. (3) Archel. Act. Disput. num. 51. pag. 95. apud Zacagn. (4) Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 2. (5) Tillemont. Histor. Ecclesiast. ad annum Christi 264. (6) Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 2.
(7) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96. apud Zacagn.
(8) Epiph. ut supra. (9) Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. Archel. ut supra, Epiph. ut supra.

chelao, & Epiphanio testibus, mulierculam quamdam eleganti quidem forma venustam, sed vili conditione servam, turpique quæstu meretricem publicam adamavit, quam uxorem dinceps duxit, tandemque libertate donavit. Ea suadente, ut est apud Archelaum (1) & Socratem, deserta Thebaidis loca reliquit, atque Alexandriam, primariam Ægypti urbem advenit, ubi, Cyrillo (2), Socrate, & Photio testibus, permanens domicilium constituit. Hunc præstantem ingenio hominem Archelaus (3) narrat, eumque Græcæ linguæ peritum ex longa legendi Aristotelis consuetudine, quo ad errores suos stabiliendos abusus est, Photius (4) testatur. Ægyptiorum scientias, Magicas Indorum artes, Judæorum, Christianorumque religionem, ritus, & instituta Scythianum didicisse Tillemontius (5) tradit: quem Magicis etiam præstigiis ex Indorum, Ægyptiorum, Gentiliumque superstitione deditum Epiphanius (6) narrat. Quatuor ad discipulum suum Terebinthum inscriptos libros dedisse eum memorant Cyrillus (7), Epiphanius, Photius, Archelaus: quorum primum *Evangelium*, alterum *Capitulorum*, tertium *Mysteriorum*, quartum *Thesaurum* inscripsit. In his quatuor memoratis libris universa Scythiani hæresis continetur, quam non modo ex profanis Aristotelis, Pythagoræ, & Empedoclis placitis, sed ex divinis etiam Judæorum, & Christianorum oraculis a se malitiosè corruptis, & subdole interpretatis, Archelao (8), Epiphanio, & Tillemontio testibus, confarcinavit. Capitalissimus, idemque perniciosissimus Scythiani error, ex

(1) Archel. ut supra, Socrat. ut supra. (2) Cyril. Hierosol. Catech. VI. num. 22. Socrat. ut supra. Phot. Histor. Manich. pag. 354. apud Montfaucon Biblioth. Coislin.
(3) Archel. ut supra. Phot. ut supra. (4) Idem ibidem.
(5) Tillemont. Histor. Ecclesiast. ad an. Christi 264.
(6) Epiph. ut supra num. 3. (7) Cyril. Hierosol. ut supra. Epiph. ut supra num. 2. Phot. ut supra n. 355. Archel. ut supra.
(8) Idem ut supra num. 51. Epiph. ut supra num. 2. Tillemont. ut supra.

ex quo, tanquam ex fordiffimo fonte, ceteræ ejusdem absurditates emanarunt, positus in eo est, quod duo pugnantia inter se principia æterna, eademque ingenita constituerit, bonum unum, a quo bona omnia; malum alterum, a quo mala omnia necessariò profluerent: ut est apud Archelaum (1), Epiphanium, & Tillemontium.

X. Placet hic ipsa Scythiani verba producere, qualia apud (2) Epiphanium habemus, quæ sunt hujusmodi: *Quæ enim*, ajebat, *ratio est cur quæ in tota hac rerum universitate continentur, inæqualia sunt, puta albam & nigrum, fulvum & viride, humidum & siccum, cælum ac terra, nox & dies, anima & corpus, bonum & malum, justum, & injustum, nisi quod ex duobus hæc sunt principiis exorta?* Quibus verbis contendeba Scythianus ex rebus contrariis, quas in hac rerum universitate perspicimus, æterna duo, atque ingenita demonstrari principia contraria, quæ contrariarum rerum causæ contrariæ essent. Talis autem capitalissimus error cum fundamentum sit universæ hæresis Manichæorum, jure optimo non Manes, sed Scythianus, sectæ hujus auctor & princeps ab Archelao (3) dicitur. Hac infectus doctrinæ peste, comite discipulo suo Terebintho, Alexandria discessit, & Hierosolymam, primariam Judææ & Palestinæ urbem Scythianus se contulit, ut cum doctioribus in ea presbyteris disputaret, eisque, si fieri posset, errores suos suaderet. At eventu prorsus contrario accidit, ut ab Hierosolymaris presbyteris refelleretur, quin hæresi sua quemquam de populo depravare potuerit, ut est apud Cyrillum (4), Photium, Archelaum, Tillemontium. Quod ad mortem Scythiani, quæ Hie-

Scythianus æterna duo contraria principia docet, Alexandria Hierosolymam venit, ubi a Christiania Presbyteris Apostolorum discipulis confutatur, præstigiis indulgens a dæmone præcipitatus occumbit.

(1) Archel. ut supra num.52. Epiph. ut supra. Tillemont. ut supra. (2) Epiph. lib.2. advers. Hæres. hæres.66. num.2.
(3) Archel. Act. Disput. num.51. pag 95. apud Zacagn.
(4) Cyril. Hierosol. Catech.VI. num.22. Phot. Histor. Manich. pag 355. apud Montfaucon. Archel. Act. Disput.num.52. pag.96. apud Zacagn. Tillemont. ad an. Christi 264.

Hierosolymis contigit, pertinet, *Daum immissu homini per morbum ucce glisceutem labem compressisse* Cyrillus (1) tradit. De Scythiani morte, *eum acerba morte in Judæa, quò commigraverat perisse* Photius (2) affirmat. *In Judæa eam vita functum, quin potuerit aliquid premovere*, Archelaus (3) narrat. De mortis genere, quo Scythianus excessit e vita, hæc Epiphanius (4) habet: *Magicis quibusdem libris adhibitis, præstigiis illudere conatus est: ac domo quadam conscensa, nihilo magis quod volebat assecutus est. Quippe inde praeceps decideas ex hac vita migravit, cum multos illic* (in Judæa) *annos egisset.*

CAPUT IV.

De Terebintho, & Zarane Manichæorum Præcursoribus.

Terebintus Scythiani discipulus, & heres universalis, Hierosolyma profugus, Babylonem venit, ubi Buddam se nominat.

XI. Terebinthus (5) Scythiani discipulus, & familiaris, quocum Alexandria profectus Jerosolymam venerat, quin a magistri latere unquam discederet, mortui Scythiani corpus perquam honorifice terræ mandavit: cujus non modo opulentam auri, argenti, universæque rei familiaris; sed librorum etiam, præstigiarum, impietatumque omnium exsecrandam adivit hereditatem. Is, (6) mortuo Scythiano, Hierosolymam diutius incoluit, ubi cum piis, doctisque presbyteris frequentes, ac diuturnas habuit de religione disce-

(1) Cyril. Hierosol. Catech. VI. num. 22. (2) Photh. Histor. Manich. pag. 355. apud Montfaucon. (3) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96. apud Zacagn. (4) Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 3. (5) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96. edit. Zacagn. Phot. Histor. Manich. pag. 355. edit. Montfaucon. Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. n. 3. Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales.

(6) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96., & 97. edit. Zacagn. Phot. Hist. Manich. pag. 355. edit. Montfaucon. Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 3. Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales.

disceptationes, a quibus explosus sæpenumero, ac superatus, cum ignominiam confutationis, & odium ac detestationem populi, in quam incurrerat, ferre non posset, Babylonem, quæ tunc a Persis obtinebatur, profugit. Sed (1) cum mala Terebinthi fama longe lateque manasset, ne dignosceretur, permutato nomine, Buddam se apud Babyloniæ populum dictitabat. Ea in Urbe (2) ut sibi admirationem populi conciliaret, admirabilia multa de se prædicabat: ex virgine quadam se natum, & ab Angelo in montibus enutritum, prophetam se esse, omnique Ægyptiorum scientia, ac doctrina cumulatissime ornatum se gloriabatur. Mox (3) impias absurdasque fabulas de hoc terrarum Orbe, de Sole, de Luna in vulgus spargere cœpit. Illud vero pestiferum, quod humanas animas e corporis vinculis relaxatas non modo in belluarum corpora, sed in arbores etiam, in stirpes, in herbas, in frutices discedere prædicabat. At errorum omnium capitalissimus ille fuit, quod docuerit contraria duo principia æterna & ingenita, duos scilicet Deos, bonum unum, a quo bona omnia; alterum malum, a quo mala omnia proficiscerentur. Affirmavit præterea impium nefariumque bellum, quod Deus malus bono Deo intulit, qua pugna cæsus Deus bonus, ejusque regnum diminutum est.

Terebinthus Babylone Scythiani impietates docet.

XII. Hæc autem cum Babylone percrebruissent (4), ad aures pervenerunt vatum, sacerdotumque Mithræ (sic enim Sol, quem colebant, apud Persas appellabatur) qui propter singularem sapientiæ lau-

(1) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 96, & 97. edit. Zacagn. Phot. Histor. Manich. pag. 355. edit. Montfaucon.

(2) Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 3. Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales.

(3) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 97. edit. Zacagn.

(4) Archel. Act. Disput. num. 52. pag. 97. edit. Zacagn. Phot. Histor. Manich. pag. 355. edit. Montfaucon. Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 3.

Terebinthus a Magis Mithræ Sacerdotibus confutatus, Babylone profugus in interiorem Persidem apud viduam quamdam se recipit, ubi præstigiis indulgens, e summo domus fastigio a dæmone præcipitatur.

laudem Magi vulgo nominabantur, quorum præstantissimi Parcus, & Labdacus Babylone habebantur. Ibi autem (1) malefactis, maleque dictis Terebinthi auditis ad singulare disputationis certamen eum provocarunt: cujus absurdas, absonas, impiasque insanias de Sole, de Luna, deque pugna & victoria Dei mali contra Deum bonum cum ennovissent, facili negotio Terebinthi deliria confutarunt. Itaque cum se turpissime superatum a Magis in ea contentione vidisset, (2) Babylone relicta, in interiorem Persidem profugus se recepit, ubi ab anu quadam vidua exceptus hospitio est. In eo viduæ domicilio maleficiis, præstigiis, horridisque mysteriis pessimam dabat operam. Ut autem ad id, quod intenderat, perveniret, impietatemque suam, nullo repugnante, in Perside prnseminaret, die quadam (3) solus supremum domus fastigium ascendit, ubi arcana mysteria celebraturus ignota quædam dæmonum nomina invocabat, solis Manichæorum electis nota, quæ conclamare solent, eum exscerandam Ischada suam, de qua suo loco, operantur. At cum his indulgeret præstigiis, e sublimi ad imum a dæmone præceps dejectus est, confractisque lapsu gravissimo ossibus, animam exhalavit, eodemque interitu, quo magister suus Scythianus, diem clausit extremum.

XIII. Mortui Terebinthi corpus (4) anus vidua

(1) Archel. Act. Disput, num.52. pag. 97. edit. Zacagn. Phot. Histor. Manich. pag. 355. edit. Montfaucon. Epiph. lib.2. advers. Hæres. hæres.66. num.3.

(2) Archel. Act. Disput. num.52. pag.97. edit. Zacagn. Phot. Histor. Manich. pag.355. edit. Montfaucon.

(3) Archel. Act. Dispur num. 52. pag. 97. edit Zacagn Phot. Histor. Manich. pag.355. edit. Montfaucon. Epiph. lib.2. advers. Hæres. hæres 66. num.3. Socrat. lib.1. Histor. Ecclesiast. cap.22. edit. Vales.

(4) Archel. Act. Disput. num 52., & 53. pag. 97. edit. Zacagn. Epiph. lib.2. advers. Hæres. hæres. 66. num.3. Socrat. lib.1. Histor. Ecclesiast. cap 22. edit. Vales. Phot. Histor. Manich. pag.355. edit. Montfaucon.

dua composuit, & more patrio terræ mandavit. Hæc autem de Terebinthi morte non modo nullam cæpit molestiam, sed potius admodum gavisa est, tum quod eo terrore caruit, quo sæpe exhorruerat, cum Terebinthus præstigiis horridis, tetrisque mysteriis, evocandisque Manibus dabat operam, tum quod opulentissimam adiverat hereditatem auri, argenti, pretiosarumque mercium, quas ex Ægyto Scythianus in Palæstinam attulerat, & Terebintus Scythiani heres in Persidem comportaverat, & in viduæ domum invixerat. Præterea quatuor Scythiani libros supra commemoratos, quos suos fecerat Terebinthus, adepta est. His aucta bonis annos non paucos jucundam delicatamque vitam anus vidua transegit: quo tempore Zaranem illum, ejusdem hæresis defensorem, ante confarcinatam, promulgatamque a Manete fabulam, extitisse arbitror. De Zarane non habeo nisi duos testes, numero quidem paucos, pondere vero gravissimos, Photium, & Petrum Siculum. Et Petrus quidem Siculus (1) in sua de vana & stolida Manichæorum hæresi, qualis ab ipso inscribitur, hæc de Zarane habet, *Erat autem ante hunc* (Manetem) *alius hujus impietatis auctor Zaranes, forma huic non dissimilis*. Photius (2) vero in sua Manichæorum historia hæc sunt quæ posterorum memoriæ mandavit, *Alius porro huic* (Maneti) *tempore paulo antiquior, par impietate, Zaranes nomine, non pauca impietatibus suis humano generi damna importavit*. Itaque tres singulares homines memorantur Manetis prædecessores, qui easdem fere omnes Manetis impietates præseminarunt, Scythianus, Terebinthus, Zaranes.

Terebintho mortuo, ejus opibus, & Scythiani libris anus vidua potita est.

Zaranes proximus Manichæi præcursor.

C CA-

(1) Pet. Sic. de Van. & Stol. Manich. Hæres. pag. 818. D. tom. xvi. Biblioth. PP. edit Paris. an. 1654.

(2) Phot. Histor. Manich. pag. 357. edit. Montfaucon.

CAPUT V.

De Manete, qui primum Curbicus, deinceps Manichæus est appellatus.

Manes natione Persa, conditione servus, religione Gentilis, Persarum Magus, & Mithræ sacerdos, in servitute Curbicus, factus liber, Manes, edast, Persice sapiens, demum a Græcis dissipu-lit Manichæus, & Manichæus appellatus.

XIV. MAnes natione (1) Persa, a prima origine (2) servus, religione (3) gentilis, ut ejus prædecessores Scythianus, Terebinthus, Zaranes, quoad in servitute fuit (4) Curbicus est appellatus, qui levi librariorum fortasse lapsu, aliove casu, apud (5) Archelaum Corbicius, apud Augustinum vero Urbicus dicitur. Is cum esset libertate donatus (6) obscurum Curbici in splendidum Manetis nomen commutavit, quod apud Persas dialecticum, apud Chaldæos vero Vas ad honorem factum Manes significat. At cum apud Græcos perinde (7) Manes atque insanus sonet, ac furens, Manetis discipuli, quo blandius influerent in aures Græcorum, quos hæresi sua corrumpere moliebantur, magistrum suum Manichæum, tanquam fluens Manna appellarunt. Sed stulto sane consilio, quod apud Græcos idem significet Manichæus

(1) Aug. lib de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46 tom.8. Archel. Act. Disput. cum Manet. n.36. pag.36. edit Zacagn. S Leo. M. Serm.76 cap 7. tom.1. edit. Cacciar. Theodoret. lib 1. Hæretic. Fabul pag 271.

(2) Phot. Histor. Manich edit. Montfaucon. pag.355. Theodoret. lib. 1. Hæret. Fabul. pag.272.

(3) Cyril. Hierosolym. Catech.VI. num.20.

(4) Phot. Histor. Manich. edit. Montfaucon. pag.355.

(5) Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46. tom 8. Archel. Act. Disput cum Manet num 53. pag.97. edit. Zacagn.

(6) Cyril. Hierosolym. Catech VI. num.20. Phot. Histor. Manich. edit. Montfaucon. pag.355. Tillemont. Histor. Ecclesiast. ad ann Christi 264.

(7) August. lib.19. contra Faust. Manich. cap.22. tom.8. Cyril. Hierosolym. Catech.VI. num.20 Euseb. lib.7. Histor. Ecclesiast. cap.31. edit. Vales. August. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres 46. tom.8. Phot. Histor. Manich. edit. Montfaucon. pag. 355.

nichæus ac maniam fundens, furorem scilicet, ac insaniam. Hac de causa Manichæorum quidam solertiores & acutiores, geminata litera n, non Manichæum, sed Mannichæum, tanquam non insaniam fundentem, sed Manna, magistrum suum dictitabant. Hunc, præter vernaculam Persidis, Chaldaica dumtaxat ornatum lingua, eumdemque Sacerdotem, cultoremque Mithræ, idest, Solis, nefariisque Mithræ Mysteriis, utpote Persarum Magus, impiam dedisse operam testis locuples (1) Archelaus narrat.

XV. Quod ad ætatem Manetis pertinet, hæc ab ejus adventu in Romanum imperium repetenda est, quando e Persidis carcere elapsus in Mesopotamiam profugus se recepit, qua Romanum ad Orientem terminabatur imperium. Hæc autem Manetis in Mesopotamiam irruptio contigit secundo Probi Imperatoris anno, Probo & Paulino COSS., idest, anno Christi CCLXXVII. In hac tanquam epocha constituenda, Probo Imperatore, & Paulino Consule, omnes fere probati Scriptores conveniunt, Archelaus (2), qui fuit æqualis ætate Maneti, Cyrillus Jerosolymitanus, Epiphanius, Leo Magnus, Hieronymus, Ferculphus, aliique his posteriores. Neque his repugnant alia quædam, quæ de Manetis ætate hi, aliique Scriptores indicant: sin autem discrepant, vel probabilis interpretatio, vel correctio congrua illis est adhibenda. Et Archelaus (3) quidem, cum aperte docuerit, Manetem sub Romano Imperatore Probo innotuisse, in æstu disputationis cum Manete, qui se Spiritum Sanctum a

Manes in Mesopotamiam venit Probo, & Paulino Conss., idest, anno Christi 277, qui fuit secundus Probi Imperatoris annus.

C 2 Chri-

(1) Archel. Act. Disput. cum Manet. num. 36. pag. 63. edit. Zacagn. (2) Archel. Act. Disput. cum Manet. num. 27. pag. 46. edit Zacagn. Cyril. Hierosolym. Catech. VI. num. 20. edit. Touttee. Epiph. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 19. & 20. edit. Petav. Leo M. Serm. 76. cap. 6. tom. 1. edit. CaccIar. Hieronym. in Chronic. Ferculphus Episcopus Lexovien. tom 2. lib. 3. Chronic. cap 12. pag. 233 Biblioth. PP. tom 16. edit. Paris. (3) Archel. Act. Disput. cum Manet. num. 27. pag. 46. edit. Zacagn.

Christo promissum impiissimè prædicabat, *Jesus*, inquit irridens, *qui dixerat, se non multo post missurum esse Paraclitum, invenitur post trecentos, & eo amplius annos misisse Manetem*. At hæc ætas cum ætate Probi Imperatoris non convenit. Dicendum igitur est, aut librarii, aut græci, vel latini interpretis lapsu, quoniam Syriace, seu Syro-Chaldaicè Archelaus scripsit, id contigisse. Si hæc interpretatio non placet, dicam Archelaum, vel ea, quæ in oratorem cadit, licentia, vel contentione ipsa, & fervore disceptationis, quam cum Manete habuit anno CCLXXVII, plenos illos trecentos, & amplius annos majori sonu effudisse. At vero Leo (1) Magnus tempus illud significans, quo per Romanum imperium exsecrandum Manetis nomen percrebuit, hæc habet. *Manes minister falsitatis diabolicæ, & conditor superstitionis obscænæ eo tempore damnandus innotuit, quo post resurrectionem Domini ducentesimus, & sexagesimus annus impletus est, Probo Imperatore, Paulinoque Consule, cum octava jam in Christianos persecutio desævires*.

XVI. Dices, vacillat hoc loco, vel jacet potius chronologia, & secum ipse pugnare videtur Leo. Si enim, ut ipse docet, in Romano imperio Manes primum innotuit Probo imperatore, & Paulino Consule, idest, anno Christi CCLXXVII, fieri non potest, ut primum anno ducentesimo sexagesimo post resurrectionem Christi in Romano imperio innotuerit. Nam si annis ducentis sexaginta post resurrectionem Domini addas, juxta pervulgatam sententiam, annos ætatis Christi triginta tres, ad Probum Imperatorem, & Paulinum Consulem, non annos Christi CCLXXVII, sed CCXCIII habebis. Petavius V.C. in suis ad LXVI Epiphanii hæresim adnotationibus censet erratum hic a librario Leonis fuisse, quod præpostere collocaverit Romanum numerum X, & loco scribendi post resurrectionem Domini annos CCXL, scripserit annos CCLX. Contra vero

(1) Leo M. Serm.76. cap.6. tom.I. edit. Cacciar.

vero V. C. Cacciarius ad hunc locum in suis a se editis S. Leonis adnotationibus judicat retinendos omnino esse annos post Domini resurrectionem ducentos sexaginta, quod omnes, quos ipse consuluit, Leonis codices, non Romanis numeris, sed vulgaribus literis, expressos habent annos *ducentos sexaginta*. Ballerinii Fratres VV. CC. in sua S. Leonis editione, quibus adde Quesnellium in sua, loco annorum CCLX post Domini resurrectionem, legendos censent annos CCL. Ad hujus difficultatis explanationem dicendum censeo S. Leonem, eo loco commemorati sermonis ad populum, non fuisse nimis solicitum in enumerandis annis a resurrectione Domini ad Manetis adventum in Mesopotamiam Orientalem ultimam Romani imperii provinciam. Etenim eo loco demostrandum sibi proposuerat S. Leo Manetem incredibili prorsus mendacio, se Spiritum-Sanctum a Christo Domino promissum venditasse. Christus enim Dominus, postquam resurrexit, & antequam in cælum ascenderet, post paucos dumtaxat dies missurum se Spiritum-Sanctum promisit; Ergo non post annos quamplurimos, quot a resurrectione Christi ad Manetis in Mesopotamiam adventum effluxerunt. Hæc demonstraturus Leo, ex tempore, & e re nata, propriaque, ut fieri solet, oratoris licentia, pro admodum magno generaliter numero, certum definitumque annorum numerum pronuntiavit, scilicet CCLX. qui numerus non nimis exorbitat ab annis CCXLIV, quot a Christi Domini resurrectione ad Manetis in Mesopotamiam adventum elapsi erant. Si hæc non arrident, dicendum superest, priores hujus sermonis librarios, ex quibus deinceps alii, pro quadragesimo pleno numero sexagesimum numerum, proclivi lapsu, veniaque digno exscripsisse. Quod ad VIII. persecutionem pertinet, hæc Valeriani persecutio est, quam nondum IX, Imperatore Probo, & Paulino Consule, exceperat.

De Manetis adventu in Mesopotamiam explicantur verba S. Leonis.

XVII. Venio nunc ad Jerosolymitanum Cyrillum,

lum, cujus (1) hæc verba sunt: *Manetis hæresis sub Probo Imperatore initium habuit. Ante annos septuaginta error ille prodivit: & nunc usque supersunt homines, qui eum suis oculis viderunt.* Jam vero, teste V. C. Touttee, editore operum Jerosolymarii Cyrilli, Cyrillus Jerosolymis catecheses habuit anno 348. Itaque deductis a numero annorum 348. annis 71. restant anni 277. qui in annum secundum incidunt Imperatoris Probi. Quod autem anno Cyrilli 348. homines superfuerint, qui Manetem suis oculis viderint, nullam præsefert difficultatem. Potuit enim contingere, ut eo usque vel octogenarii, vel nonagenarii, vel centenarii senes viverent, qui vel nono pueritiæ, vel quintodecimo adolescentiæ, vel quinto & vigesimo juventutis suæ anno, ad boni ratiocinatoris regulam, Manetem in Mesopotamia anno 277. oculis suis viderint. Neque vero ab his ea Cyrilli verba discrepant, quibus Manetem irridet, qui se promissum Apostolis Spiritum-Sanctum esse, impie, impudenterque prædicabat. *Quid igitur?* irridens (2) inquit, *Anne defuncti ab ducentis annis Apostoli Manem expectabant, ut tandem* (Spiritus-Sancti) *virtutem induerentur?* Petrus enim & Paulus, in quos præter Johannem reliqui omnes Apostoli defecerunt, & quorum mortem, tanquam epocham splendidissimam spectare videtur Cyrillus, judice V. C. Petro Coustant, martyrio coronati sunt XIII. Neronis anno, idest, anno Christi LXVII. Itaque ab obitu Petri & Pauli ad Manetis adventum, cum se prædicare cœpit Spiritum Sanctum, quod per modum postulati contigisse ponimus anno CCLXXVII, ubi primum in Mesopotamiam advenit, ducenti ferme, idest, non plusquam decem supra ducentos effluxerunt anni. Ex hactenus de Manetis ætate disputatis, & ex testimonio (3) Archelai, qui Probo Imperatore,

De adventu Manetis in Mesopotamiam an. Christi 277 consentiunt S. Cyrilli Jerosolymitani testimonia.

Manes ineunte sæculo tertio exortus videtur, annis centum, & eo amplius, post exortum Scythianum.

(1) Cyril Hierosolym. Catech. VI. num. 20. edit. Touttee.

(2) Idem Catech. XVI. num 9.

(3) Archel. Act. Disput. cum Manet. num. 12. pag. 23. edit. Zacagn.

te, idest, anno Christi CCLXXVII. senem a se visum esse in Mesopotamia Manetem testatur, colligitur natum Manetem esse ineunte sæculo tertio, annis plusquam centum post exortum Scythianum. Siqua ab his discrepant vel apud Epiphanium, vel apud Photium, vel apud alium quempiam, ad superiorem epocham, si fieri potest, interpretanda sunt; sin minus, corrigenda, & emendanda cum Petavio, Tillemontio, aliisque probatissimis chronologicis.

XVIII. Sed a Manetis nomine, & eo quo fuit tempore, ad hominem ipsum me refero. Is (1) puer septennis, cum esset genere servus, pecuniis hospitis sui Terebinthi, a vidua illa, divitiarum ejus, atque librorum herede, emptus est. Cum enim viro esset orbata, & liberis, propinquisque careret, in solitudinis suæ solatium, puerum hunc servum, Cubricum nomine comparavit, quem libertate donatum sibi adoptavit in filium. Ubi vero acrem ingenio puerum, & natura ad perdiscendas literas optime comparatum cognovit, Magorum Persarum studiis, ac disciplinis erudiendum excolendumque tradidit. In hac autem palæstra eo usque profecit Manes, ut unus tandem e Persarum Magorum sapientissimis vulgo diceretur, & haberetur. Interea anus vidua diem obiit extremum, libertumque suum, utpote adoptivum filium, auri, argenti, aromatum, librorumque illorum, quæ sibi advenerant a Terebintho, heredem universalem instituit. Opulentissimam viduæ hereditatem adeptus Manes, & Scythiani libris potitus,

Manes puer septennis emitur a vidua pecuniis Terebinthi, Persarum disciplinis instituitur, heres a vidua scribitur, potitur Terebinthi libris, quibus suum nomen inscribit, novamque hæresim condit.

(1) Archel. Act. Disput. cum Manet. num.53.pag.97 & 98. edit. Zacagn. Cyril. Hierosolym. Catehc.vi. num.24., & 25. edit. Touttee. Epiph. lib 2. advers. Hæres. hæres.66. num.1., & 3. edit. Petav. Socrat. lib.1. Histor. Ecclesiast. cap.22. edit. Vales. Phot. Histor. Manich. pag.355. edit. Montfaucon. Tillemont. Histor. Ecclesiast. ab Artic.1. ad Artic. 17. ad annum Christi 264. edit. Venet. tom.IV.

citus, totum ſe contulit in his perlegendis, & cognoſcendis. His ſtudiis cum aſſiduam, diuturnamque operam dediſſet Manes, ut ſibi nomen famamque novæ a ſe inventæ religionis, & diſciplinæ compararet, ab anilibus Scythiani & Terebinthi fabulis multa detraxit, pluraque de ſuo, eaque abſurdiora addidit, deletoque priorum nomine, nomen inſcripſit ſuum, memoratoſque quatuor libellos tribus diſcipulis ſuis, quos ſibi primum adjunxerat, quorum nomina, Adda, Thomas, & Hermas, addiſcendos, pervulgandoſque tradidit. Id autem factum eſſe ſexageſimo Manetis anno apud Archelaum legitur: quod Tillemontius corrigendum judicat, tanquam lapſum vel imperiti interpretis, vel oſcitantis librarii.

Manes in carcerem a Varane II. Perſarum Rege conjicitur, quod præter promiſſa regium filium ægrotantem male curando occiderit.

XIX. Talibus diſciplinis & adjumentis inſtructus Manes cum Perſarum ſapientiſſimis diſceptabat, quibus diſſentientibus ac repugnantibus, ut fabulas ſuas ſuaderet, humanis viribus ſuperiora facturum ſe jactitabat. Dum hæc agerentur, peropportune accidit, ut regis Perſarum filius ægrotaret. Hanc occaſionem celebritatis & nominis nactus Manes ad regiam Urbem accurrit. Promittit regi ſe arcanis precibus & medelis, quæ in Scythiani & Terebinthi libris continebantur, ægrotantem puerum ſaluti priſtinæ mox redditurum. Perſarum imperium tenebat eo tempore Varanes II. Is eatenus præſtigiatori fidem adhibuit, ut, excluſis medicis, qui leviter egrotantem puerum ſe curaturos facile pollicebantur, uni Maneti curandum filium commiſerit. At contra regis expectationem, & veteratoris promiſſa evenit, ut, ſtatim ac infandas preces, & medicamina adhibere aggreſſus eſt Manes, in ejus manibus repente regius filius efflaret animam. Interitu filii, & præſtigiatoris dolo in furorem actus Varanes Manetem graviſſimis caternis obſtrictum in tetrum detrudit carcerem, extremo horridoque ſupplicio perimendum. Ta-

lia

lia (1) testes locupletissimi posteritati mandarunt. Cum autem in carcere detineretur Manes, (2) ejus discipuli, quos antea congregaverat, & per diversa loca proseminandi erroris sui causa, & conquirendi christianos libros, Hierosolymam miserat, ad eum redeuntes, carcere inclusum inveniunt, expetitosque offerunt libros. Quibus acceptis multa in his Manes permutat, multa depravat, multaque in suam sententiam detorquere conatur, retento tamen Christi nomine, qui se Apostolum, quin etiam Spiritum-Sanctum a Christo promissum, impiissima temeritate mentitur. Librorum hujusmodi beneficio Christianos, apud quos pessime audiebat, conciliare sibi per suos discipulos molitus est.

Manes detentus in carcere accipit a suis discipulis Hierosolymam missis Christianorum libros, quibus abutitur ad suam hæresim fabricandam.

Manes se Spiritum Sanctum & Christi Apostolum jactat.

XX. At vero Manes cum sibi a Rege paratum propter filii necem atrox supplicium non ignoraret, corruptis auro quo abundabat custodibus, e carcere elapsus, Arabionem extremum Persidis oppidum ad Strangæ fluminis ripas profugus se recepit. Cum autem in eo oppido moraretur Manes, multa audiebat de Christiani cujusdam Marcelli opibus, nobilitate, pietate, prudentia, caritate, maximè vero de profusissima hominis liberalitate, quibus laudibus apud omnes Mesopotamiæ ordines perquam gratiosus evaserat. Hunc conciliare sibi atque adjungere Manes aggreditur. Quod si consequatur, facili negotio sperat non modo per Mesopotamiam, sed etiam per totam Syriam, majoresque partes Romani imperii errores suos se posse diffundere. Itaque Turbonem, unum ex præcipuis suis disci-

Manes e carcere elapsus Arabionem ad Strangam fluvium, extremum Persidis oppidum profugit, unde Turbonem discipulum Cascharam, seu Charram in Mesopotamia ad Marcellum egregium Christianum datis ad eum litteris mittit.

(1) Epiphan. lib.2. advers. Hæres. hæres.66. edit. Petav. Cyrill. Hierosolym. Catech.vi. num.25. edit Touttee. Socrat. lib.1. Histor. Ecclesiast. cap.22. edit. Vales. Phot. Histor. Manich. pag.356. edit. Montfaucon. Archel. Act. Disput. cum Manet. num.53. pag 98. edit. Zacagn

(2) Archel. Act. Disput. cum Manet. num.53. & 54. pag 98. & 99. edit. Zacagn. Tillemont. tom.iv. Histor. Ecclesiast. ab Artic.1. ad Artic.xvii edit. Venet. Phot. Histor. Manich. pag 356. edit. Montfaucon. Epiphan. lib.2. advers. Hæres. hæres.66. num.5. edit. Petav,

discipulis Cascharam, primariam Mesopotamiæ urbem, quam antiquam Charram Tillemontius judicat, domicilium Marcelli, datis ad eundem litteris, mittit. Exemplum autem litterarum, ut est apud Archelaum Cascharæ episcopum, erat hujusmodi: *Manichæus Apostolus Jesu Christi, & qui mecum sunt omnes Sancti, & virgines Marcello filio carissimo gratia, misericordia, pax a Deo Patre, & Domino nostro Jesu Christo: & te dextera lucis conservet a præsenti sæculo malo, & a ruina ejus, & a laqueis maligni.* Summa vero epistolæ hæc erat: Se ad correctionem humani generis missum esse. Marcellum cum Christianis ceteris in eo errore versari, quo imperitorum magistri docent, bonum & malum, ceteraque contraria, ex uno, eodemque principio exoriri: item, Christum Dominum cujusdam mulieris Mariæ filium esse, ex sanguine & carne, reliquisque mulierum sordibus generatum. Hactenus (1) locupletissimi testes, & firmissima fide dignissimi.

Marcellus nobilis in primis Christianus Maneti rescribit, cujus epistolam Manes a Callisto Marcelli servo accipit.

XXI. Acceptam a Manete epistolam per Turbonem ejus discipulum, quem perhumaniter hospitio excepit, Marcellus coram Archelao, egregio Cascharorum episcopo, recitat. Mox nulla interposita mora Maneti rescribit. Exemplum autem epistolæ Marcelli ad Manetem, ut est apud Archelaum, erat hujusmodi: *Marcellus vir notus Manichæo, qui sibi per epistolam indicatus est, salutem. Scriptam quidem a te epistolam sumpsi, & Turbonem solita mihi humanitate suscepi: sensum verò literarum nequaquam adverti, nisi fortè tu præsens exponas nobis per verba singula, sicut promisisti. Vale.* Consignatam epistolam Turboni, a Manetis erroribus sua & Archelai opera jam revocato, perferendam tra-

(1) Archel. Act. Disput. cum Manet. num. 54. pag. 98. 99., & 100. item num. 4. & 5. pag. 5. & 6. edit. Zacagn. Cyril. Jerosolym. Catech. VI. num. 26., & 27. edit. Touttee. Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales. Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. edit. Petav. Phot. Histor. Manich. pag. 356. edit. Montfaucon.

tradit, quo repugnante, Callisto servo suo Marcellus reddendam Maneti committit. Is post triduum Arabionem pervenit, reddit Maneti Marcelli epistolam. Accepta per alium a Turbone perlatorem epistola Manes de capiendo consilio anceps primum deliberat, mox Cascharam ad Marcellum iter ingreditur. Interea temporis Turbo ab Archelao & Marcello requisitus, universam Manetis fabulam utrique perquam copiosa narratione exponit, ut apud Archelaum legitur, quæ in breviorem summam ab Epiphanio redacta hujusmodi est: *Manetem duo principia statuere, quæ & principio carerent, & nunquam desinerent, invicemque contraria forent: quorum unum lucem & bonum appellaret; alterum tenebras ac malum, ut idem sint ac Deus, & diabolus: quos quidem ambos nonnunquam Deos nominaret, Deum videlicet bonum, ac Deum malum. Ab his duobus principiis exorta ac constituta esse omnia, quorum ab altero bona, ab altero mala omnia proficiscuntur, quæ amborum principiorum in hoc mundo subsistentiam habeant. Ad hæc, corpus ab uno illorum esse conditum, animam ab altero. Quæ quidem anima, tam in hominibus, quam in ceteris animalibus, adeoque avibus, serpentibus, ac bestiis insit: imo etiam stirpibus.* Eadem ipsa die Manes pervenit Cascharam adducens secum delectos juvenes duodecim. Et primo quidem ad Marcelli fores Turbonem perquirit, nec invenit, quod jam repudiatis veteratoris erroribus, abdiderat sese, ut detestabilis magistri conspectum devitaret. Itaque ingreditur ad Marcellum Manes, speciem quidem senilem præseferens, atque gravem; sed ornatu corporis instar gloriosi militis, & admodum insolenti, ac perridiculo. Tunc Marcellus Archelaum accersit. Indicitur publica disceptatio. Electi judices quatuor, Manippus, Ægialus, Claudius, & Clebolus, viri litteris, & doctrina præstantes; sed religione gentiles, ne, si Christiani, tanquam Archelai discipuli Maneti essent suspecti. Frequens populi multitudo in atrio Marcelli cou-

Turbo apud Marcellum & Archelaum Cascharæ Episcopum manet, quibus universam Manetis hæresim narrat, quorum opera Manetis errores repudiat.

Manes pervenit Cascharam stipatus duodecim delectis adolescentibus, frustra Turbonem requirit, & ad Marcellum ingreditur.

Archelaus Cascharæ Episcopus in publico, & solemni judicio cum Manete disputat, quem egregie confutat, atque Archelao causa a judicibus adjudicatur.

conveuit. Certo loco consident selecti Judices, primusque Manes his exorditur verbis. *Ego viri fratres Christi quidem sum discipulus, Apostolus vero Jesu. Sum quidem ego Paraclitus, qui a Jesu mitti prædictus sum.* Summa autem disputationis Manetis hæc fuit: Duo esse contraria principia, ambo æterna & ingenita, quorum neutrum ab alterutro pendet: unum bonum, a quo bona omnia; alterum malum, a quo mala omnia proficiscuntur: atque horum quodque fere infinitum, maximoque intervallo sepositum occupare locum. Vetus testamentum opus esse principii mali. Omnia, quæ in hoc terreno orbe conspicimus, ne hominibus quidem exceptis, exorta esse ex commistione naturæ bonæ cum natura mala. Manetis perorationem consecuta continuò est Archelai (1) confutatio. Hæc autem ita vehemens, nervosa, & invicta fuit, totque, tantisque perspicuis rationibus, firmissimisque argumentis corroborata, ut facile judices Archelao causam adjudicaverint. At vero populus perquam absurdis, absonis, impiisque Manetis sententiis vehementer commotus, primùm tumultuari, deinde lapidibus veteratorem, & impium hominem obruere aggreditur. Quod perfecisset, nisi Marcellus, & Archelaus multitudinem tumultuantem summa qua pollebant apud populum auctoritate & dignitate sedassent.

Archelaus & Marcellus impetum populi contra Manetem sedant.

XXII. Itaque Manes Caschara sive Charra aufugiens Diodoridem, Cascharorum ignobilem vicum in finibus Mesopotamiæ ad Strangæ ripas, ubi Diodorus nomine, ut apud Archelaum, Tryphon vero, ut apud Epiphanium & Photium legitur, Presbyter Christiano populo præerat, sese recepit. Cum autem intellexisset Manes Diodorum hominem quidem

Manes Caschara Diodoridem in finibus Mesopotamiæ ad Strangæ ripas profugit.

(1) Archel. Act. Disput. cum Manet. a num 6. usque ad num.39., & a pag 9. usque ad pag 68 edit.Zacagn. Epiphan. lib.2. advers. Hæres. hæres. 66. a num. 6. ad 8 edit. Petav. Cyril. Hierosolym. Catech VI. num.27. edit. Touttee. Phot. Histor.Manich. a pag.356. usque ad pag.358. edit. Montfaucon.

dem singulari planè pietate præditum, sed eloquentia ac dialectica destitutum, nec in sacris profanisque literis, ut Archelaus, versatum, hanc occasionem nactus, fabulam suam suadere Diodorensibus aggressus est. Quare Diodorus imparem se resistendo homini eloquenti ac dialectico, eoque magis vafro & versuto intelligens, ad Archelaum episcopum suum scribit, eumque certiorem facit de absurdis impiisque sententiis, quas Manes Diodoride spargeret, quarum maxima capitalis erat, Legem Moysis non esse Dei boni, sed principis tenebrarum, eamque traditæ a Christo doctrinæ repugnare quammaxime. Itaque rescribit Archelaus Diodoro, cui plurima & robustissima argumenta suppeditat, una vel altera epistola copiosissima, quas duos libros Epiphanius appellat, in defensionem potissimum veteris testamenti. His armis instructus Diodorus prospere cum Manete, populo christiano plaudente, confligit. Sed cum inclinaret in vesperum Sol, in posterum diem certamen delatum est. Summo mane præsto fuit Diodorus & Manes publicè disceptaturi, magna adstante populi multitudine, cum repente, & insperato Marcellus & Archelaus, clandestino in vicum introitu sese dant in conspectum. Diodori presbyteri partes sustinendas suscipit Archelaus, & cum Manete congreditur. In hac disceptatione, præter ceteras impietates, in hanc detestabilem obscænitatem Manes erupit: *Absit, ut Dominum nostrum Jesum Christum per naturalia pudenda mulieris descendisse confitear.* Quibus impudentissimis verbis contendebat, Christum Dominum de Beata Virgine corpus non suscepisse. Ad extremum ab Archelao fractus, atque devictus ab universo populo exsibilatur. Tum Archelaus populum de Manete certiorem facit, quis, & qualis, & unde sit, & cujus doctrinæ, atque impietatis: docetque eum ad necem quæri a Satellitibus Regis Persarum propter interitum filii, cujus certam regi curationem spoponderat. Hæc cum ad

Manes errores suos Diodoride spargit.

Diodorus Presbyter de his certiorem facit Episcopum suum Archelaum, cujus litteris instructus cum Manete disputat.

Archelaus cum Marcello improviso Diodoridem advenit, iterum cum Manete disputat, iterumque eum confutat.

Manes ab Archelao Diodoride convictus, & detectus iterum Arabionem se recipit, ubi a Regis Satellitibus comprehenditur, ad Regem perducitur, damnatur, eique cutis detrahitur, quæ paleis oppletur, & ad Urbis portam appenditur.

ad Manetis aures pervenissent, se in fugam dedit, trajectoque flumine Stranga, quo Romanum imperium ab imperio Persarum dirimebatur, iterum Arabionem ad Strangæ ripas, in finibus Persidis, se recepit. Ibi a Satellitibus Regis captus ad Regem perducitur. Tum Regis jussu nefario homini, more Persico, calamis cutis detrahitur, conditur, paleis oppletur, atque ita infarta ad regiæ civitatis portas suspenditur. Mors Manetis incidit in annum Christi CCLXXVIII, mense Martio, prope festum Paschæ, qui dies apud Manichæos, sub nomine Bematis, Augustino teste, maxima cum solemnitate celebrabatur. Audita Manetis morte, Archelaus, coacta Synodo, solemni judicio impii hominis memoriam est exsecratus. Tum, suadente Marcello, Turbonem Cascharorum Ecclesiæ Diaconum initiavit, & Manetis historiam posterorum memoriæ Chaldaicis literis tradidit. Talia ex locupletissimis testibus (1) infra adnotatis accepimus.

Manes occisus anno Christi 278. exeunte Martio, prope Pascha, quo die Bema a Manichæis celebratur.

Turbo Cascharæ Diaconus initiatur.

Archelaus Manetis historiam Chaldaice scribit.

CAPUT VI.

De Manetis discipulis, & Manichæorum moderatoribus, & administris.

XXIII. Duodecim sibi Manes discipulos, ad Christi Domini exemplum a quo se missum Paraclitum prædicabat, adjunxit, quorum primarii tres Thomas, Addas, & Hermas. De duodenario numero discipulorum, quos in rem suam sibi Manes adhibuit, conveniunt inter se Euse-

Manes ad Christi exemplum duodecim sibi adjungit Discipulos.

(1) Archel. Act. disput. cum Manet. a num. 39. pag. 68. ad num. 55. pag 100. edit. Zacagn. Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 11., & 12. edit. Petav. Cyrill. Hierosolym. Cathec. VI. num. 30 edit. Toujteè. Socrat lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales. Phot. Histor. Manich. a pag. 356. ad pag. 358 edit. Montfaucon. Tillemont. Histor. Ecclesiast. tom. 4. ab Artic. 1. ad Artic. 17. Augustin. lib. 18. contra Faust. cap. 5. Et contra epist. Adimant. cap. 8. num. 9. tom. 8.

Eusebius (1), Theodoretus, Petrus Siculus, Photius, & præstantissimus omnium Augustinus (2), cujus hæc verba sunt: *Manichæus duodecim discipulos habuit ad instar apostolici numeri, quem numerum Manichæi hodieque custodiunt. Nam ex electis suis habens duodecim, quos appellant magistros, & tertiumdecimum principem ipsorum.* Petrus vero Siculus, supra commemoratus, cui concinat Photius, his verbis singulorum nomina prodit. *Discipuli Manetis Antichristi fuere duodecim, Sigintas, qui Maneti successit, Thomas, qui Evangelium Manichæis novum condidit, Buddas, & Hermas, Adantus, & Adimantus, quem in diversas orbis partes præconem amandavit. Manetis interpretes, & explanatores extitere Hierax, & Heraclides, atque Aphtonius. Adjuncti his, & alii terni hujus sectatores, Agapius Heptalogum commentus est, Zarvas, & Gabriabius.* Adimantus, de quo Photius & Petrus Siculus, is esse videtur, contra quem Augustinus scripsit, qui eo (3) loco dicitur: *Unus ex discipulis Manichæi, quem magnum doctorem illius sectæ fuisse commemorant.* Et alio (4) loco, *Si recenseatis, quæ contra Adimantum scripsi, qui Manichæi sectator, cum ille viveret, fuisse jactatur.* At discrepat a supra commemoratis testibus Epiphanius (5), qui duos supra viginti discipulos constituisse sibi Manetem affirmat. Archelaus vero in re simili ipse sibi, ut verba sonant, repugnat. Archelaus enim (6) apud Zacagnium, qui codicem Casinensem in lucem dedit, stipatum catervâ duorum supra viginti electorum juvenum venisse in Mesopotamiam Manetem narrat.

(1) Euseb. lib. 7. Histor. Ecclesiast. cap. 31. edit. Vales. Theodoret. lib. 1. Hæretic. Fabul. pag. 272. Petr. Sic. de Manich. hæres. pag. 819. tom. 16. Biblioth. PP. edit. Paris. Phot. Histor. Manich. pag. 356. edit. Montfaucon. (2) August. lib. de Hæres. ad Quodvult. hæres. 46. num. 8. (3) Idem lib. contr. Adimant. cap. 12. num. 2. tom. 8. (4) Idem lib. 2. contr. advers. Leg. & Proph. cap. 12. num. 4. tom. 8. (5) Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 5. edit. Petav. (6) Archel. Act. disput. cum Manet. num. 12. pag. 23. edit. Zacagn.

rat. At idem ipse Archelaus apud Valesium, qui inchoatum codicem Bobiensem in Ambrosiana nunc Bibliotheca Mediolani servatum, quem a V. C. Emerico Bigotio acceptum ad calcem suarum adnotationum ad Socratem, & Sozomenum collocavit, duodecim dumtaxat electorum juvenum comitatu Manetem in Mesopotamiam irrepsisse testatur. At facile tollitur utraque repugnantia, si dicamus, quod maximè probabile est, id accidisse facili lapsu veniaque digno vel Latini, vel Græci sive interpretis, sive librarii, qui pro Græca nota numerica IB, quæ apud Græcos duodecim valet, notam KB adhibuerint, quæ apud Græcos sonat viginti duo. Retinendus est igitur duodenarius discipulorum Manetis numerus. Quod pertinet ad legationem selectorum trium discipulorum Manetis, Turbo apud Archelaum (1) in utroque Codice hæc habet: *Hæc est omnis doctrina, quam Manes tradidit tribus discipulis suis, & jussit eos in tres mundi plagas proficisci. Ex quibus Adda partes est sortitus Orientis, Thomas vero Syrorum terras suscepit, Hermas vero ad Ægyptum profectus est, & usque in hodiernum diem ibi degunt dogmatis hujus gratiâ prædicandi*. At in hac profectione non omnino scriptores inter se consentiunt; sed neque ipse secum Cassinensis Archelai Codex. Res quidem ipsa non magni ponderis videtur esse. Hermeam in Ægyptum profectum esse etiam Epiphanius (2) tradit, qui Manetis Historiam ab iis, qui ipsum Hermam in Ægypto audiverant, se accepisse testatur, quod certè ad habendam Epiphanio fidem maximi momenti est.

Manes tres primarios discipulos suos, Addam, Thomam, & Hermem ad disseminandam hæresim suam in primarias mundi partes delegat.

XXIV. Universam Manichæorum rempublicam in duos ordines dispertitam accepimus: quorum alteri (3) Auditores, Electi alteri appellabantur. Audi-

(1) Archel. Act. disput. cum Manet. num. 12. pag. 22.

(2) Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 12. edit. Petav.

(3) August. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. to. 8.

Auditores suos (1) pariter catechumenos appellare consueverunt Electi, non quod hi aliquando, ut catechumeni Christianorum baptismo initiandi forent, baptismum enim Manichæi repudiabant; verum quia Auditores multo inferioris gradus, ordinis, & sanctitatis præ Manichæorum Electis censebantur. Commune munus Auditorum (2) erat cum uxoribus suis, liberis, familiis, famulis, agris inservire Electorum necessitatibus. Præterea (3) terram colere, fodere agros, arare campos, poma è plantis evellere, decerpere olera, succidere pepones & cucurbitas, eaque Electis, quibus alebantur, afferre. Auditoribus autem (4) indulgebatur, ut uxores ducerent, utque carnibus uterentur, & vino. At iisdem (5) interdicebatur, ne sua manu animalia occiderent, quodque maxime detestabile est, & naturæ legi repugnans, ut in uxoris usu magnopere a generanda prole caverent. Ritus autem Auditorum erat (6) se ad pedes Electorum projicere, eorumque manibus premendas cervices supponere. Quod autem cum Electis commune habebant, his verbis eorum olim Auditor persequitur Augustinus: *Solem, & Lunam cum Electis adorant; die Dominico cum Electis jejunant: & omnes blasphemias cum illis credunt, quibus Manichæorum hæresis detestanda est.* Itaque universam Manichæam fabulam Auditoribus suis Electi tradebant; nec nisi ab impiis illis, nefariisque mysteriis, quibus Electi perquamoccultam operam dabant, de quibus loco suo disputabimus, Auditores excludebantur. Merces vero (7), quam pro servitute gravi, ac diuturna Auditoribus suis promittebant

Auditores Manichæorum, qui, quales, quibus legibus adstricti, quibus muneribus, officiisque addicti.

Auditoribus suis universam doctrinam & disciplinam suam Electi communicabant.

Auditores a foedis Electorum nefariis mysteriis excludebantur.

E Ele-

(1) Augustin. lib.3. contra Petil. cap.17. num.20. tom.9.
(2) Idem lib.5. contra Faustum cap 10. tom 8.
(3) Idem lib 6 contra Faustum cap 4. tom 8.
(4) Idem epist.236. ad Deuter. Episc. num.2. tom.2.
(5) Idem lib. de Hæres. ad Quodvult Deum hæres 46. to.8.
(6) Idem epist.236. ad Deuter Epis. num 2. tom.2.
(7) Idem lib.5 contra Faustum cap 10. tom 8 Item lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46. tom.8.

Electi, erat hujusmodi, spes certa nimirum, quod eorum animæ e vinculis corporis relaxatæ, vel continuo in Electorum corpora abirent, vel in pepones, cucurbitasque migrarent, atque in Electorum ventre purgatæ quamprimum in regnum lucis reciperentur.

Electi Manichæorum qui, quales, quibus legibus adstricti, & cui muneri destinati.

XXV. Manichæorum Electi hi dicebantur (1), qui summum sanctitatis, justitiæ, severitatis, & continentiæ gradum se tenere profitebantur. Hi (2) a vino, & carnibus omnino abstinebant, quod e mortuis corporibus divinæ naturæ particulas evolasse affirmabant; vinum autem fel esse principis tenebrarum docebant. Pomis itaque, herbis, oleribus, peponibus, & cucurbitis alebantur, quæ quamvis evulsa, excerpta, & præcisa adhuc vivere arbitrabantur, & permistam simul continere cum mala natura dæmonis bonam naturam Dei, quam in ventriculis suis separare se a natura mala coquendo, eructando, & egerendo jactabant. Quos Augustinus irridens (3), *O beata olera*, inquit, *quibus & manu evulsis, & ferro concisis, & igne cruciatis, concessum est tamen ut ad vestrorum intestinorum aras viva perveniant. Et O misera pecora, quæ cum citius de corpore suo exeunt in vestra corpora intrare non possunt*. Praeterea (4) agros colere, uxorem ducere, & liberis procreandis operam dare nefario sibi flagitio dabant. Quin etiam (5) eradicare herbas, evellere folia, succidere olera, poma decerpere immane, & impium censebant, quod hæc vitam divinam vivere prædicarent. Electorum autem vita, mores, consuetudines, sacra, quæ ab eis exercebantur, propter detestabiles turpitudines Manichæorum Auditoribus penitus occultabantur. Testis est Augustinus primarius Manichæorum Auditor,

Electi Manichæorum ab Auditoribus segregati sosi peragebant occulta sua, & exsecranda mysteria.

(1) Aug. Enar. in Psal. 140. num. 10. tom. 4. Theodoret. lib. 1 Hæretic. Fab. pag. 272. (2) Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom 8. (3) Idem lib 6. contra Faustum cap. 4. tom 8. (4) Idem epist. 236. ad Deuter. Epis. num. 2. tom 2. (5) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom. 8.

ditor, qui in celebri illa cum Fortunato disceptatione (1), *De moribus vestris*, inquit, *plene scire possunt, qui Electi vestri sunt. Nostis autem me non Electum vestrum, sed Auditorem fuisse. Quid autem inter vos agatis, qui Electi estis, ego scire non possum. Nam & Eucharistiam audivi a vobis sæpe quod accipiatis, tempus autem accipiendi cum me lateat, quid accipiatis unde nosse potui?* Ceterum totam doctrinam suam, cui fidem præstarent, Auditoribus suis communicabant Electi. Sic enim eo loco continuo persequitur S. Doctor: *Mihi fides data est a vobis, quam hodie improbo.* Ex Electorum cœtu assumebantur, qui sacris Manichæorum præerant, & ministrabant. Qui, quot, & quales fuerint audiendus est Augustinus. Certe solo nomine tales erant, quod Christiani non essent, quia carebant baptismo (2), *Manichæi*, inquit, *ex Electis suis habent duodecim, quos appellant Magistros, & tertiumdecimum principem ipsorum: Episcopos autem septuaginta duos, qui ordinantur a magistris. Habent etiam Presbyteros, qui ordinantur ab Episcopis. Habent etiam Episcopi Diaconos. Baptismum in aqua nihil cuiquam perhibent salutis offerre, nec quenquam eorum, quos decipiunt, baptizandum putant.*

Ex Electorũ cœtu magistri duodecim sub uno Principe, qui est tertiusdecimus, Episcopi septuaginta duo, Presbyteri, & Diaconi.

Electi baptismum in aqua homini salutarem negant.

CAPUT VII.

De Universa Manichæorum Fabula.

XXVI. UNiversam Manichæorum fabulam, non minus anilem, & perridiculam, quam impiam, nefariam, & detestabilem explanandam aggredior. Talis enim ab antiquis Ecclesiæ Patribus semper habita fuit. Hanc (3) Augustinus diuturnus Manichæorum Auditor fabulam appellat Persicam, eamque falsissimam, fallacissi-

E 2 mam,

(1) Augustin. lib. contra Fortun. disput. 1. num. 3. tom 8.
(2) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres 46. to. 8.
(3) Idem lib. contra Secundin. Manich. cap. 2. tom. 8.

mam, mendaciisque contaminatissimis contextam, confictamque testatur (1). S. Leo Magnus hæresim, ait, in Manichæorum infamia arcem sibi struxisse: quidquid vero in hæresibus omnibus sacrilegum est, atque blasphemum, id in Manichæos, quasi in sentinam quamdam omnium concretione fordium confluxisse affirmat: eorumque doctrinam tanquam (2) diabolicam impietatem, nefandique dogmatis, ut loquitur, ferale commentum, de sacrilegis, & fabulosis mendaciis contextum vituperat. Titus (3) vero Bostrensis, ut ceteros prætermittam, egregius Manichæorum impugnator, quatuor editis a se libris, quorum quartus desideratur, ubi Manichæum nominat, non alia eum voce, quam hominis dementissimi, & amentissimi usurpat. Jam vero (4) duo æterna, ingenitaque principia eademque omnino contraria, locoque inter se distantia quam maxime Manichæi statuebant: Quorum alterum Deum bonum, naturam bonam & lucem; alterum vero Deum malum, naturam malam & tenebras: itemque hylen grece, latinè materiam, quin etiam dæmonem, & diabolum appellabant. Duos Deos unum bonum, malum alterum Manichæos docuisse (5) testis est Augustinus, qui, *Cum exceptione*, inquit Manichæos alloquens, *vobiscum loquendum est, quando Deus nominatur. Duos enim Deos, unum bonum, alterum malum esse perhibetis*. Turbo (6) Manichæi discipulus, & Auditor

Manichæorum hæresis omnium hæresum sordes complectitur.

Deum bonum, lucem, naturam bonam: & Deum malum, tenebras, naturam malam, hylen, diabolum, tamquam æterna duo bonorum, maliorumque omnium principia Manichæi constituebant.

(1) S. Leo M. serm. 15. cap. 4. tom. 1. edit. Caeciar.
(2) Idem serm. 33. cap. 4. tom. 1.
(3) Titus Bostren. lib. 2. contra Manich. pag. 906. 907. & 909. Extat p. 2. tom. 4. Biblioth. PP. edit. Paris.
(4) Idem lib. 1. contra Manich. pag. 894 & 895. item pag. 906. & 907. lib. 2. Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom. 8. Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 14. sitana verba excerpta ex lib. Manetis, qui inscribitur *Mysteria*. Theodoret. lib. 1. Hæretic. Fabul. pag. 272.
(5) August. lib. 1. de Morib. Eccl. Cathol. cap. 10. num. 16. tom. 1.
(6) Archel. Act. disput. cum Manet. a pag. 9. usque ad pag. 22. edit. Zacagn.

ditor apud Marcellum, & Archelaum testatur Magistrum suum duos constituisse Deos, bonum nuum, alterum malum. Hunc Turbonem ipsum, qualem apud Archelaum repererat, Epiphanius (1) testem producit, quod Manichæus *duo principia statueret, quæ & principio carerent, nec umquam desinerent, invicemque contraria forent: quorum unum lucem, & bonum appellaret; alterum tenebras ac malum, et idem fiat, ac Deus, & diabolus: quos quidem ambos nonnunquam Deos nominaret, Deum videlicet bonum, ac Deum malum.* At vero (2) Augustinus, cum exprobrasset Fausto Manichæorum Episcopo, duos Deos a Manichæis constitutos, his verbis repugnantem sibi Faustum audivit: *Numquam in nostris assertionibus duorum Deorum auditum est nomen..... Est quidem quod duo principia confitemur; sed unum ex his Deum vocamus, alterum Hylen; aut ut communiter & usitate dixerim, dæmonem. Duo principia doceo, Deum, & Hylen, nec idcirco videri debeo tibi duos ostendere Deos.* Ad hæc Augustinus frequens & assiduus testis de auditu cum Auditoribus cæteris Manichææ de duplici Deo impietatis, *Duos quidem Deos in vestris*, inquit, *disputationibus solemus audire*. Mox prætermissa inani quæstione de voce, rem ipsam his verbis nervosius aggreditur: *Cito videtur Faustus se defendisse, cum ait*, Non dicimus duos Deos; sed Deum, & Hylen. *Porro autem cum quæsierit quam dicat Hylen, audies planè describi alterum Deum*. Et sane cum Hylen corporum omnium procreatricem, eamque æternam, ingenitam, nec ab ullo principio, nullaque causa pendentem affirmarent, quæ nisi naturæ divinæ tribui non possunt, Deum esse Hylen vel inviti & nolentes concedere Manichæi cogebantur.

XXVII. De natura autem boni, malique Dei disputantes, Deum bonum communem hanc lucem

(1) Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 8.
(2) Aug. lib. 21. contra Faust. cap. 1. 2. & 4. tom. 8.

Lucem oculis nostris conspicuam, Deum bonum, & huic contrarias tenebras Deum malum esse Manichæi docebant.

cem esse, quæ oculis animantium omnium percipitur, Manichæi docebant. *Lucem* (1) *corpoream*, narrat Augustinus, *animantium mortalium oculis adiacentem, non solum in his navibus* (in Sole & Luna) *ubi eam purissimam credunt, verum etiam in aliis quibusque lucidis rebus, ubi secundum eos tenetur admista, crediturque purganda, Dei dicunt esse naturam*. Contra vero Deum malum tenebras esse dicebant, quas aliquid esse per se subsistens, & æternum, ingenitumque putabant. (2) *Solent dicere*, de Manichæis inquit Augustinus, *unde erant tenebræ super abyssum, antequam faceret Deus lucem? Quis illas fecerat, aut genuerat? aut si nemo fecerat & genuerat eas, eternæ erant tenebræ. Quasi aliquid sint tenebræ: sed, ut dictum est, lucis absentia hoc nomen accepit. Sed quia ipsi fabulis suis decepti crediderunt gentem esse tenebrarum, in qua & corpora, & formas, & animas in illis corporibus fuisse arbitrantur; ideo putant, quod tenebræ aliquid sint: & non intelligunt non sentiri tenebras, nisi quando non videmus, sicut non sentitur silentium, nisi quando non audimus. Sicut autem silentium nihil est, sic & tenebræ nihil sunt. Sicut autem isti dicunt, Gentem tenebrarum, contra lucem Dei pugnasse, sic potest & alius similiter vanus dicere, Gentem silentiarum contra vocem Dei pugnasse.* Causa vero, quæ Manichæos in hanc absurditatem impulit, qua crederent æternam quamdam ingenitamque naturam malam existere, ex qua mala omnia profluerent, ea fuit, quod cum mala multa, quæ in omnium oculos undique incurrunt, perspicerent, eaque Deo bono tribuere impium omnino judicarent, omnium malorum causam æternum quoddam, ingenitumque principium malum constituerunt. Hinc frequentissima apud Manichæos quæstio illa, qua decipiebant incautos, UNDE MA-

(1) Augustin. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom 8. (2) Idem lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 4. num. 7. tom. 1.

Manichæorum quæstio percelebris, unde malum.

MALUM? *Sæpe* (1) *atque adeo semper*, inquit Manichæos alloquens Augustinus, *ab iis, quibus hæresim vestram suadere molimini, requiritis, Unde sit malum.* Hic se triumphare Manichæi jactitabant. *Hac quæstione* (2), inquit Augustinus, *Manichæi se regnare putant, quasi vero interrogare sit scire.* Neque enim intelligebant, cum duplex sit mali genus, nimirum malum culpæ, & malum pœnæ, hoc justissime ad Deum bonum justissimum scelerum vindicem; illud ad voluntatem natura bonam, sed electione liberam & Angeli, & hominis pertinere. Eo enim usque mali originem perquirentibus est deveniendum, nec progrediendum est ultra.

Manichæorum fabula de pugna gentis tenebrarum contra Deum lucis.

XXVIII. Manichææ fabulæ narrationem persequitur Titus (3) Bostrensis, qualem se accepisse testatur ex ipsismet Manichæi libris, quæ est hujusmodi. Materia illa æterna & ingenita sine ullo ordine ferebatur, generabat, atque crescebat. Cum autem innumerabili prolis multitudine aucta esset, maximæ inter pessimam illam sobolem discordiæ & seditiones exortæ sunt. Insanam fratrum inimicitiam acer atroxque pugna est consecuta. Cum autem in fugam versos victores insequerentur, factum est, ut ad regni lucis confinia pervenirent, cujus pulchritudine capti, inito secum fœdere, regnum lucis de communi consilio invaserunt. Tunc Deus lucis cum gentis tenebrarum impetum sustinere non posset, atque imminentem regni sui vastitatem timeret, ut sibi rebusque suis consuleret, nescio quam potestatem, atque virtutem, partem certe sui lucidissimam, objecit hostibus, ut his illecebris captos ab odio ad amorem eos revocaret. Ad præsentiam pulcherrimæ lucis exarserunt tenebræ vehementi cupiditate, quacum permistæ eam absorbuerunt, arctissimoque vinculo sibi penitus adstrinxerunt. Ex hac commistione lucis & tenebrarum,

(1) August. lib. 2. de Morib. Manich. cap. 2. num. 2. tom. 1.
(2) Idem lib. de duab. animab. cap. 8. num. 10. tom. 8.
(3) Titus Bostren. lib. 1. contra Manich. a pag 882. ad 886.

rum, mitigato tenebricosæ gentis furore, auctore deliro sene Manete, mundus exortus est. Similia narrat apud Archelaum (1) Turbo Manetis comes atque discipulus: Similia Theodoretus (2): Similia, locisque pluribus testes appellans Manichæi libros Augustinus (3), præsertim in suis cum Manichæis concertationibus: Similia alii plures scriptores præclarissimi, summaque fide dignissimi. Pauca quædam brevitatis gratia Augustini testimonia depromo: *Dicitis* (4), inquit, *aliam nescio quam gentem tenebrarum adversus Dei regnum rebellasse. Deum autem omnipotentem cum videret quanta lubes, & vastitas immineret regnis suis, nisi aliquid adversæ genti apponeret, & ei resisteret, misisse hanc virtutem, de cujus commistione cum malo, & tenebrarum gente mundus sit fabricatus.* Item (5): *Gentem tenebrarum quodam tempore adversus Deum rebellasse. Deum autem cum aliud faceret, non haberet, & quomodo aliter posset hosti resistere non inveniret, necessitate oppressum misisse huc animam bonam, & quamdam particulam suæ substantiæ, cujus commistione atque miscela hostem superatum esse somniant, & mundum fabricatum.* Præterea (6): *Manichæi dicunt ante mundi constitutionem fuisse gentem tenebrarum, quæ contra Deum rebellavit: in quabello credunt miseri omnipotentem Deum non sibi aliter potuisse succurrere, nisi partem suam contra eam mitteret. Cujus gentis principes, sicut illi dicunt, devoraverunt partem Dei, & temperati sunt, ut posset mundus de illis fabricari: quæ membra Dei dicunt esse commista tenebrosis visceribus principum illorum, ut eos temperaret, & a furore compesceret.* De

Manichæi commistione lucis & tenebrarū mundum fabricatum esse dicebant post utriusque pugnam.

(1) Archel. act. disput. cum Manet. a pag. 9. ad pag. 12. edit. Zacagn.
(2) Theodoret. lib. 1. Hæretic. Fabul. pag. 272.
(4) August. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres 46. tom 8. Idem lib. 13. contra Faustum Manich. cap. 18. tom 8. Idem epist. 236. ad Deuterium episc. num. 2. tom 2.
(4) Aug. lib. contra Fortun. Manich. disp. 1. num. 1. tum. 8.
(5) Idem lib. de vera relig. cap 9. num 16. tom. 1.
(6) Idem lib. de Agon. Christ. cap. 4. num. 4. tom. 6.

XXVIII. De mundi constitutione, quæ consecuta est pugnam illam gentis tenebrarum cum Deo lucis, talis est Manichæorum fabula, ut, tanquam ægrotantium deliria, sibi non constet, sed secum ipsa maxime puguet. Animantium omnium originem talem fuisse, Augustino teste, Manichæi literis commendarunt (1): *Utriusque sexus principibus tenebrarum captis, cum ex eis mundus construeretur, plerosque eorum in cælestibus fabricis colligatos, in quibus erant etiam feminæ aliquæ prægnantes, quæ cum cœlum rotari cepisset, eam vertiginem ferre non valentes, conceptus suos abortu excussisse, eosdemque abortivos fœtus, & masculos, & feminas de cœlo in terram cecidisse, vixisse, crevisse, concubuisse, genuisse. Hinc esse dicunt originem carnium omnium, quæ moventur in terra, in aqua, in aere.* Cetera omnia, non secus atque animantia, cum quæ immota perstant, tum quæ moventur, ex duplici natura, duplicique anima, mala & bona: mala, quæ pars Dei mali; bona, quæ Dei boni pars esset, constare & coalescere contendebant, post ridiculum illud prælium permista simul, atque conglutinata. Hinc omnia quæ in mundo sunt, elementa, lapides, metalla, arbores, poma, olera, fruges animata esse, & quidem anima sensu, cognitione, & ratione prædita arbitrabantur. Adest testis locuples Augustinus, qui de Manichæis hæc narrat (2): *Membra*, inquiunt, *illa Dei, quæ capta sunt in illo prælio, mista sunt universo mundo, & sunt in arboribus, in herbis, in pomis, in fructibus.* Item (3): *Deum bonum, & verum dicunt cum tenebrarum gente pugnasse, & partem suam tenebrarum principibus miscuisse, eamque toto mundo inquinatam, & ligatam asseverent.* Rursus (4): *Herbas, atque arbores sic putant*

Manichæi dicebant animantia omnia fœtus esse abortivos feminarum gentis tenebrarum, quod violentam vertiginem in prima conversione cœli sint passæ.

Manichæi omnia corpora animata esse dicebant, quod constarent ex anima bona, quæ pars est Dei boni, & ex anima mala, quæ pars est Dei mali.

F

(1) Aug. lib 6. contra Faustum Manich. cap.8. num.8.
(2) Idem Enar. in Psal.140. num.12. tom.4.
(3) Idem epist.236. ad Deut. Episc. num.2. tom.2.
(4) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46. to.8.

putant vivere, ut vitam, quæ in illis inest, & sentire credant, & dolere cum læduntur: nec aliquid sine cruciatu eorum quemquam posse vellere, aut carpere. Deplorans vero assensum a se datum, ineunte sua adolescentia, Manichæorum deliriis, *Sensim* (1) *ac paulatim*, inquit, *perductus sum ad eas nugas, ut crederem ficum plorare cum decerperetur: & matrem ejus arborem lacrymis lacteis*. Præterea Manichæos refellens, *Anima* (2), inquit, *illa, quam rationalem inesse arboribus arbitramini, arbore excisa, vinculo solvitur; vos enim hoc dicitis, & eo quidem vinculo, in quo magna miseria, & nulla utilitate tenebatur*. Demum Manichæorum nugas perstringens, *Stirpes* (3), inquit, *& arbores nonnulli nimis errantes hæretici, non solum sentire per corpus, idest, vivere, audire, & calorem, ignemque discernere; sed etiam intelligere per rationem, & cogitationes nostras arbitrantur*. Similia habet (4) Archelaus, similia Titus (5) Bostrensis, similia Epiphanius (6).

XXIX. De natura autem hominis multo perniciosior erat Manichæorum error. Docebant enim duas esse in unoquoque homine animas: unam malam, quæ pars erat gentis tenebrarum, ejusdemque cum tenebrarum gente naturæ; ex eaque omnia mala hominis, tum quæ ad naturam, tum quæ ad mores pertinent, necessario exoriri: bonam alteram, Dei boni partem, ejusdemque cum Deo bono naturæ; ex eaque omnia hominis bona, tum quæ naturæ, tum quæ honestatis sunt, necessario profluere (7). Testis est locis plurimis Augustinus.

(1) Augustin. lib. 3. Confess. cap. 10. num. 18. tom. 1.
(2) Idem lib 2. de morib. Manich. cap. 17. num 55. tom. 1.
(3) Idem lib. de Genes. ad lit. Imperf. cap. 5. num. 24. to. 3.
(4) Archel. Act disput. cum Manet. a pag. 9. ad 22. edit. Zacagn. (5) Tit. Bostren. lib. 2. contra Manich. pag. 923.
(6) Epiphan. lib. 2. advers. Hæres. hæres. 66. num. 8.
(7) Aug. lib. 2. de morib. Manich. cap. 11. num 21. tom. 1. Idem lib. de vera relig. cap. 9. num. 16. tom. 1. Idem lib. de duab. animab. cap. 12. num. 16. tom. 8.

nus (1). Unum præ ceteris brevitatis gratia depromo. *Manichæi*, inquit, *duas animas, unam bonam, alteram malam in uno homine esse delirant. Istam scilicet malam propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum. Illam vero bonam ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente confixerit, atque utramque miscuerit. Et omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt.* Ambas in unoquoque homine animas, utpote inter se maximè inimicas & adversarias, acerrimè secum ipsas assidueque pugnare, atque in perpetuo conflictu esse affirmabant. Hanc autem pugnam eam luctam esse carnem inter & spiritum, quam experimur in nobis, qualis describitur ab Apostolo. Augustinus (2) ipse audiatur. *Duas animas*, dicunt, *vel duas mentes, unam bonam, alteram malam inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum* (3). Item, *Cum audimus Apostolum* (Gal. 5. 16.) *dicentem*. Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; hæc enim invicem sibi adversantur, ut non ea quæ vultis faciatis, *absit ut credamus, quod Manichæorum credit insania, duas hic demonstratas esse naturas ex contrariis inter se principiis confligentes, unam boni, alteram mali.* In eo autem conflictu, his auctoribus, si anima mala prævaleat viribus animæ bonæ, bonam sibi subjicit, pondere suo secum pertrahit, eamque a virtute ad vitia detorquet, & in flagitia quæque, & malefacta detrudit (4). *Manichæi excusationem suam extendunt in accusationem Dei, divino judicio miseri, suo autem furore blasphemi, & tunc se peccare dicunt, quando natura mali prævalet naturæ Dei. Hæc Manichæorum est immanissima insania.*

Manichæi dicebant duas esse in homine animas, quæ in perpetuo conflictu sunt, bonam unam, partem Dei boni, quæ bonorum omnium; malam alteram, partem Dei mali, quæ malorum omnium causa nobis necessaria est.

(1) Aug. lib. 1. Retract. cap. 15. num. 1. tom. 1.
(2) Idem lib. de Hæref. ad Quodvultdeum hæref. 46. tom. 8.
(3) Idem lib. de Contin. cap. 7. num. 18. tom. 6.
(4) Idem lib. de Contin. cap. 5. num. 14. tom. 6.

Ita Augustinus. Et iterum alio loco (1): *Manichæi*, inquit, *e substantia mali, cui proprium principium, præcipesque tribuunt, ipsum boni Dei substantiam, ex parte qua capta est corruptum, & oppressum, & ad peccandi necessitatem perductum esse contendunt*. Lepidus profecto est de hac impia, & insana Manichæorum excusatione Augustini Dialogus. Audiatur (2). *Qui sunt isti Electi? Quibus si dixerit, Peccastis, statim illum defensionem imponunt, & pejorem ceteris, magisque sacrilegum proferunt; Non ego peccavi, sed gens tenebrarum. Quæ est ista gens tenebrarum? Quæ bellum gessit cum Deo. Et ipsa peccat, cum tu peccas? Ipsa*, inquit, *quia commisti sumus illis ...... Et nos animæ*, inquiunt, *de ipsis membris Dei sumus; sed premimur hic visceribus gentis tenebrarum, & quidquid peccare dicimur, illa gens peccat ..... Vis, o nefande, false Electe, defendere peccatum tuum, ut quando aliquid mali feceris, non tu fecisse videaris: quæris in quem peccatum tuum refundas, & refundis in gentem tenebrarum. Sed ad Deum attende, si non in illum refundis. Si enim posset gens tenebrarum, quam fingitis, hoc tibi diceret, Quid me accusas? ..... Cum vis ergo te defendere de peccato tuo, laudare non potes Deum ... Transis ad vituperationem tuam, & laudabis Deum ... Dic, Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam meam, quoniam peccavi tibi. Ego dixi, ego peccavi, non fortuna, non fatum, non gens tenebrarum.* Placuit tamen hæc sententia Augustino, olim cum adolescens esset, quando in Manichæorum hæresi versabatur, utpote admodum commoda, & opportuna ad removendam a se culpæ notam, & ignominiam, ad extinguendos morsus, aculeosque conscientiæ retundendos. quod ipsemet ingenue fatetur, hisque verbis deplorat (3). *Adhuc enim mihi vide-*

Manichæi excusabant peccata sua, quod non ipsi, sed in ipsis peccabat anima mala, quoties prævalebat animæ bonæ.

(1) Aug. epist. 166. ad Hieron. cap. 2. num 4. tom. 2.
(2) Idem in Psal. 140. num. 10. & 11. tom 4.
(3) Idem lib. 5. Confess. cap. 10. num. 18. tom. 1.

videbatur non esse nos qui peccamus; sed nescio quam aliam in nobis peccare naturam, & delectabat superbiam meam extra culpam esse. & cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam meam, quoniam peccabat tibi; sed excusare eam amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, & ego non essem. Ex his omnibus patet, Manichæos in id potissimum, viribusque omnibus incubuisse, quemadmodum nostræ ætatis hæretici, ut liberum humanæ voluntatis arbitrium omnino tollerent. Quod (1) sæpenumero, locisque pluribus Augustinus testatur.

Manichæi propter duas animas, bonorum, malorumque omnium necessarias causas, hominis arbitrium liberum rejiciebant.

XXX. At verò Deus commotus membrorum suorum calamitate, Manichæo auctore, ut est apud Titum Bostrensem (2), cogitavit ea separare a misera illa commistione cum tenebrarum gente, sibique iterum ea coaptare, ne pars naturæ suæ in sempiterna esset miseria. Ratio autem disjunctionis hujus multiplex est apud Manichæos. Quod enim pertinet ad cœlestia cum tenebrarum gente conglutinata, divulsio a Manichæo tradita, adeo impia est, tetra, & obscæna, ut eam non meis audeam, sed solis Augustini verbis, qui locum ipsum Manichæi producit, referre (3): *Dicunt*, inquit, *virtutes lucis transfigurari in masculos pulcros, & opponi feminis gentis tenebrarum: & easdem rursus virtutes lucis transfigurari in feminas pulcras, & opponi masculis gentis tenebrarum; ut & per pulcritudinem suam inflamment spurcissimam libidinem principum tenebrarum, & eo modo vitalis substantia, hoc est, Dei natura, quam dicunt in eorum corporibus colligatam teneri, ex eorum membris per ipsam concupiscentiam relaxatis, soluta fugiat, & suscepta, vel purgata liberetur. Hoc infelices legunt, hoc dicunt,*

Manichæi dicebant separationem naturæ bonæ a natura mala, Dei boni consilio, in cœlo fieri vi libidinis vehementissimæ.

(1) Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom. 8. Item lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 8. num. 3. tom. 10. Item lib. 1. retract. cap. 9. num. 2. tom. 1.
(2) Titus Bostren. lib. 1. contra Manich. pag. 891.
(3) August. lib. de Nat. Boni contr. Manich. cap. 44. tom. 8.

cant, hoc audiunt, hoc in libro septimo Thesauri eorum (sic enim appellant scripturam quamdam Manichæi ubi istæ blasphemiæ conscriptæ sunt) ita positum est. Et iterum alio loco eam ipsam sordidissimam Manichæorum fabulam S. Doctor confirmat. Audiatur (1). *Quidquid undique purgatur luminis per quasdam Naves, quas esse Lunam & Solem volunt, Regno Dei tanquam propriis sedibus reddi. Quas itidem naves de substantia Dei pura perhibent fabricatas. Esse autem in eis navibus sanctas virtutes, quæ se in masculos transfigurant, ut alliciant feminas gentis adversæ; & rursus in feminas, ut alliciant masculos ejusdem gentis adversæ. & per hanc illecebram commota eorum concupiscentia, fugiat de illis lumen, quod membris suis permistum tenebant, & purgandum suscipiatur ab Angelis lucis, purgatumque illis navibus imponatur ad regna propria deportandum*. Hinc perquamridicula nova alia nata est Manichæorum fabula, de Lunæ incrementis, & decrementis, quam ipsimet Augustini verbis expono (2). *Qui subtilius ista scrutati sunt incrementa, & decrementa Lunaria ex conversione globi ejus conjecerunt. non quod aliquid substantiæ vel accedat ei cum augetur, vel decedat cum minuitur, quod delira imperitia Manichæi opinantes, repleri eam dixerunt, sicut repletur navis ex fugitiva parte Dei, quam commistam principibus tenebrarum, & eorum sordibus inquinatam, corde, atque ore sacrilego & credere, & loqui non dubitant. Hinc ergo impleri Lunam dicunt, cum eadem pars Dei magnis laboribus ab inquinamento purgata de toto mundo, atque omnibus cloacis fugiens, redditur Deo lugenti dum redeat. Repleri vero per mensem dimidium, & alio dimidio in Solem refundi, velut in aliam navem.* O præclaros Astronomos Manichæos! Sed redeo ad separationem naturæ divinæ a natura gentis tenebrarum. Quod ad terrestria corpora pertinet mul-

Manichæorum fabulæ de Lunæ incrementis, & decrementis.

(1) Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46 tom 8.
(2) Idem epist 55. ad Januar. cap 4. num.6. tom.2.

multis, ac differentibus modis ex his divinæ naturæ particulas a vinculis permolestis cum tenebrarum gente perpetuo assidueque laxari, & ad lucis regna tandem aliquando evolare Manichæi docebant. Multiplices hos, variosque memoratæ dissolutionis modos his verbis persequitur Augustinus (1). *Fugit aliquid portio illius divinæ, ut perhibetis, dum fruges, & poma carpuntur: fugit cum affliguntur vel terendo, vel molendo, vel coquendo, vel etiam mordendo, atque mandendo. Fugit etiam in omnibus motibus animalium, vel cum gestiunt, vel cum exercentur, vel cum laborant, vel cum omnino aliquid operantur. Fugit etiam in ipsa quiete nostra, dum in corpore illo, quæ appellatur digestio, interiore calore conficitur. Atque ita tot occasionibus divina fugiente natura, quiddam sordidissimum remanet, unde per concubitum caro formatur, cum animo tamen boni generis; quoniam quamvis plurimum, non tamen totum bonum memoratis illis motibus evolat.* At præter modos ceteros compendiaria, & expeditissima ratio separandi bonam naturam Dei a mala tenebrarum natura apud solos erat Manichæorum Electos, qui mandendo, coquendo, digerendo, ructando, a cibis, quibus uti erant soliti, divinæ naturæ particulas a fœce tenebricosæ gentis, singulari quodam Manetis munere, se dissolvere prædicabant. *Ficum*, inquit Augustinus (2), *si comedisset aliquis Sanctus, alieno fone non suo scelere decerptam, misceret visceribus, & anhelaret de illa Angelos, immo vero particulas Dei gemendo in oratione, atque ructando, quæ particulæ summi, & veri Dei ligatæ fuissent in illo pomo, nisi Electi Sancti dente, & ventre solverentur.* Et iterum alio loco (3) = Deum bonum, & verum dicunt cum tenebrarum gente pugnasse, & partem tenebrarum principibus miscuisse, eamque toto mundo inquinatam,

Apud Manichæos ratio multiplex separationis naturæ bonæ a natura mala, quæ in terrestribus contingit corporibus.

Expeditior separatio naturæ bonæ a natura mala in electorum ventriculis peragebatur.

(1) Aug. lib. 2. de Morib. Manich. cap. 15. num. 37. tom. 1.
(2) Idem lib. 3. Confess. cap. 10. num. 18. tom. 1.
(3) Idem epist. 236. ad Deuter. Epis. num. 2. tom. 2.

natam, & ligatam per cibos Electorum suorum, & per Solem, & Lunam purgari asseverant. & quod purgari de ipsa parte Dei non potuerit, in fine sæculi æterno, ac pœnali vinculo colligari =. Facta etenim tandem aliquando fere universa lucis a tenebris separatione, qui actus extremus est fabulæ Manichæorum, dicebant, Deum lucis reliquas omnes tenebras in globum pene immensum, & infinitum coacturum, quibuscum & animæ illæ quæ in Manetem non crediderunt, & membra illa Dei, quæ separari omnino non potuerunt supplicio cruciabuntur æterno. Hæc Theodoretus (1), hæc Augustinus (2), aliique plures. *Projicite*, inquit Augustinus, *libros Manichæi, quibus testibus credidistis lucem pugnasse cum tenebris, quæ lux ipse Deus erat; & ut posset ligare lux tenebras, prius esse lucem a tenebris devoratam, & ligatam, & inquinatam, & dilaniatam: quam vos manducando recreatis, & solvitis, & purgatis, & sanatis, ne cum illa quæ purgari non potuerit in globo æterno damnemini*. Et iterum (3): *Manichæi dicunt, Deum genti tenebrarum æternum carcerem præparare, quam dicunt esse inimicam Deo. Et parum est; sed cum etiam sua membra simul cum ipsa gente puniturum esse non dubitant dicere*. Demum (4): *Sejunctam, atque seclusam substantiam istam mali, finito isto sæculo post conflagrationem mundi in globo quodam, tamquam in carcere sempiterno, esse victuram. Cui globo affirmant accessuram semper & adhæsurum, quasi coopertorium, atque tectorium ex animabus natura quidem bonis, sed tamen quæ non potuerint a natura mala contagione liberari*.

Manichæi dicebant lucem quæ a tenebris separata numquam non potuit in digeo globo simul cum tenebris perpetuo cruciatum iri.

XXXI. At verò antequam fabula tota perageretur, & ad extremum actum, separatione universæ

(1) Theodoret. lib.1. Hæretic. Fabul. pag.171.
(2) August. lib.13. contr. Faust. Manich. cap.18. tom.8.
(3) Idem lib. contr. Adimant. cap.11. tom.8.
(4) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres.46. in fine tom.8.

versæ naturæ bonæ ab universa natura mala, pervenisset, docuerunt, Augustino teste (1), Manichæi: *Animas mortuorum malas, minusve purgatas, aut in revolutiones ire, aut in graviores aliquas pœnas; bonas autem in naves imponi, & in cœlo navigantes transire hinc in illud phantasma terræ luminis, pro qua pugnando perierunt*. Hæc autem revolutio animarum, de qua Augustinus, celeberrima illa est Pythagoræ, aliorumque veterum philosophorum metempsychosis, seu humanarum transmigratio animarum in aliena corpora, quam Manichæi, testibus Socrate (2), & Theodoreto, iterum instaurarunt, quamquam multo absurdiorem, longeque turpiorem præ illa veterum philosophorum metempsychosi. Etenim non modo in belluinа corpora volucrum, natantium, agrestium, ferentium, ferarum, cicurum; sed in frutices etiam, in olera, in poma, in cucurbitas, in pepones, in cæteras alias humanas animas discedere docuerunt. Profecto non eo usque deliravit Pythagoras. *Animas*, inquit Augustinus (3), *& in pecora redire putant, & in omnia, quæ radicibus fixa sunt, & aluntur in terra*. Sed singulari Manichæorum munere, ab eis lege sancita, omnium fortunatissimæ erant Auditorum suorum animæ, quod admistione corporis liberatæ, aut in Electorum corpora continuò abibant, aut in cucurbitas, pepones, fruges, olera, poma, futura alimenta Electorum, qui mandendo, coquendo, ructando, & orando, animas auditorum suorum, quod fidelem Electis servitutem sibi exhibuissent, proxima ad regnum lucis, & quasi compendiaria via transmittebant. *Animas*, inquit Augustinus (4), *Auditorum suorum in Electos volvi arbitrantur, aut feliciore compendio in escas*

Manichæi animarum transmigrationem in aliena quæque corpora docuerunt.

Manichæi docuerunt Auditorum suorum animas vel in Electorum corpora, vel in cibos, quibus vescuntur Electi, discedere.

G Ele-

(1) Aug. lib. 20. contra Faustum cap. 21. tom. 8.
(2) Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Valef. Theodor. lib. 1. Hæretic. Fabul. pag. 212.
(3) Aug. lib de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom. 8.
(4) Idem ibidem.

Electorum suorum, ut jam inde purgatæ in nulla corpora revertantur. Irridet autem Augustinus lepida sanè, multumque festiva percunctatione hanc Manichæam fabulam. Quærit enim ab Adimanto quid faciendum sibi arbitretur, si in Asellum vel nimis tardum, vel concitatum nimis insideat. Num festinantem celerius frœno affigat, & vexet; vel nitentem tardius fuste coutundat, & incitet? At fieri potest ut in Asinino illo corpore patris sui inclusa anima contineatur. Quod si contingat, quam nefario, quam impio scelere se Adimantus obstrinxerit. Quin etiam fieri facile potest, ut inter pulices, & pediculos, parentes suos ungue opprimat & explodat. Num igitur a cæde pediculorum parricidium metuens abstineat, eorumque permolestos aculeos æquo animo ferat? Sed ipsemet audiendus est Augustinus quanto lepore, quantaque festivitate hanc insectetur fabellam (1). *Quid ipse Adimantus faciet secundum opinionem suam, qua credidit rationales, idest, hominum animas in belluina corpora posse contrahi? Quid ergo faciet de tanto scelere, si quando tardum jumentum plagis, aut concitatum frœno fatigavit, in quo forsa patris ejus anima fuerit? Ut etiam non dicam, quod etiam occidere parentes suos inter pediculos, & pulices potuerit, a quorum isti interfectione non temperant. Quid enim eis prodest, quod aliquando negant usque ad ista minutissima animalia revolvi animas humanas posse? Hoc enim negant, ne tam multarum interfectionum rei teneantur, aut cogantur parcere pediculis, pulicibus, & cimicibus, & tantas ab eis molestias sine ulla cædis eorum licentia sustinere*.

XXXII. Quoniam vero error errorem parit, ex eo, quod, auctoribus Manichæis, omnis caro esset natura mala, atque pars esset ex tenebrarum gente decerpta, consentanea consecutione docue-

(1) Aug. lib. contra Adimant. cap. 12. num. 2. tom. 8.

docuerunt, Dei Filium nec vero humano corpori cohæsisse, nec ex Maria verum hominem natum, nec vere passum, nec mortuum, nec sepultum, nec verum vivum hominem ex tumulo surrexisse: sed falsam dumtaxat imaginem, fictumque hominis simulacrum mortalium oculis exhibuisse. Testes produco locupletissimos, summaque fide dignos, Socratem (1), Theodoretum, Fulgentium, Leonem Magnum, & locis pluribus Augustinum. Sed nullus certior ipsomet Manichæo, qui contra catholicos hæc exsecrandis litteris commendavit (2). *Utinam nec Unigenitum Dei Filium Christum Dominum, qui de Patris sinu descendit, Mariæ cujusdam mulierculæ filium esse dicerent, neque ex Sanguine, Carneque, tum vero reliquo mulierum fœtore prodiisse*. Quæ vero de Christo Domino vel a magistro suo mutuati sint Manichæi, vel sponte sua excogitaverint ipsi, ex Augustino juvat accipere, quam nefaria sint, quam impia, & absurda (3). *Christum*, inquit, *fuisse affirmant, quem dicit nostra scriptura serpentem, a quo* Adam, & Evam *illuminatos asserunt, ut cognitionis oculos aperirent, & bonum malumque dignoscerent: eumque Christum novissimis temporibus venisse ad animas, non ad corpora liberanda. Nec fuisse in carne vera, sed simulatam speciem carnis ludificandis humanis sensibus præbuisse, ubi non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur*. Mirum fortasse videbitur, Manichæos, qui testamentum vetus repudiabant omnino, locum ex libro Geneseos, quamvis perquamabsurde, interpretatos fuisse; sed admiratio cessabit, si meminerimus hæreticorum omnium

Manichæi Christi Domini corpus, non verum & solidum, sed umbram, & simulacrum corporis fuisse docuerunt.

Manichæi totum testamentum vetus, tamquam opus principis tenebrarum repudiarunt, novum vero arbitratu suo circumciderunt.

(1) Socrat. lib. 1. Histor. Ecclesiast. cap. 22. edit. Vales. Theodoret. lib. 1. hæretic. Fabul. pag. 272. Fulgent. lib. 1. ad Trasamund. cap. 5. Leo Magnus Serm. 35. cap 4. tom. 1. edit. Cacciar. August. epist. 236. ad Deuter. Episc. num. 2. tom. 2. Idem lib. 2. contra duas epist. Pelag. cap. 2. num. 3. tom. 10.

(2) Epist. Manich. ad Marcellum apud Archel. num. 5. pag. 6. edit. Zacagn.

(3) Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. tom. 8

omnium commune esse, non constare ipsos sibi; sed secum ipsa pugnantia docere. Multiplex est enim mendacium, pugnaque intestina secum confligit; contra vero veritas una est, eaque simplex, sibique semper consentanea. Omnino certum, exploratumque est, universum testamentum vetus Manichæos rejecisse, quod fœtum esse dicerent nescio cujus principis tenebrarum; novum verò temere corrupisse, ut libuerat, auxisse, detruncasse. Quid de utroque testamento Manichæi senserint Augustinus audiatur (1). *Deum*, dicunt, *qui legem per Moysem dedit, & in Hæbreis prophetis locutus est, non esse verum Deum, sed unum ex principibus tenebrarum. Ipsiusque testamenti novi scripturas, tanquam infalsatas ita legunt, ut quod volunt, inde accipiant; quod nolunt, rejiciant, eisque tamquam totum verum habentes nonnullas apocryphas antepanant.*

XXXIII. De rerum autem natura tales Manichæus, ejusque discipuli fabulas docuerunt, quales a bonis quibusdam aniculis ad focum sedentibus narrari solent: quas productis testibus locupletissimis, cursim, atque summatim attingam (2). Narrabant quinque esse elementa in totidem tenebricosis antris conclusa, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum, quæ ad tenebrarum gentem, tanquam ab ea amputata membra, pertinerent. In fumo autem animantia bipedia, unde homines ducunt originem, in tenebris serpentia, in igne quadrupedia, in aquis natantia, in vento volatilia gigni, & habitare dicebant. Ad opprimenda autem quinque hæc elementa mala Deum bonum totidem elementa bona, partes naturæ suæ, immisisse, in eaque pugna fuisse permista; fumo, aerem; tenebris, lucem; igni malo, ignem bonum; aquæ malæ,

Manichæorum deliria de natura rerum.

(1) Aug. lib. de Hæref. ad Quodvultdeum hæref. 46. tom. 8.

(2) Aug. lib. 3. Confess. cap 7. num 11. tom 1. Idem lib 2. de Morib. Manich. cap 9. num. 14. tom. 1. Idem lib. de Hæref. ad Quodvultdeum hæref. 46. tom. 8.

malæ, aquam bonam; vento malo, ventum bonum (1). Quod ad terremotus pertinet caufam docebant, Omophorum nefcio quem, ut de Atlante fabulæ ferunt, terram fuis humeris fuftinere, qui gravi pondere fatigatus interdum tremit, vel levandi laboris gratia ex uno in alterum humerum terram transfert. His autem de caufis terremotus quandoque contingere affirmabant. Dicebant præterea (2) pluvias, & imbres fudorem effe nefcio cujus elegantis puellæ cæleftis petulantem juventem de tenebtarum gente fugientis: *Hæc autem*, inquit Hierofolymitanus Cyrillus, *in Manichæorum libris fcripta funt. Ea nos legimus, dum errantibus nolumus fidem adhibere*. Poftremo (3) Solem, & Lunam naves quafdam in curfu effe; & Lunam quidem factam ex aqua bona, Solem vero ex igne bono, ambafque naves ad exportandas in regnum lucis fugaces divinæ naturæ particulas, quæ affidue e terrenis corporibus evolant, deftinatas. Crefcere autem Lunam, cum oneratur; contra vero decrefcere cum evolantibus divinæ naturæ vaporibus in Solem exoneratur. Prætereo ceteras de rebus naturalibus Manichæorum ineptias, nec paucas, nec minus quam fuperiores ridiculas, & ad graviora, atque majora progredior.

CAPUT VIII.

De Vita, Moribus, & Religione Manichæorum.

XXIV. INveterata hæreticorum omnium, præfertim vero noftrorum temporum, [...]aus eft, ad faciendum fucum fimplicibus, & ad decipiendos incautos excogitata, tum pictatis, integri-

(1) Tit. Boftren. lib.1. adverf. Manich. pag.883. Turbo ud Archel. Difput. adverf. Manich. edit. Valef. ad calcem tom.2. Hiftor. Ecclefiaft pag.391.
(2) Cyril. Hierofolym. Catech.vi. num.34. edit. Touttee.
(3) August. epift 55 ad Januar cap 4 num 6 tom 2. Idem de Hæref. ad Quodvultdeum hæref.46. tom.8.

tegritatis, continentiæ, maximè vero intolerabilis severitatis ficta, & simulata ostentatio; tum querelæ lugubres, & acerrimæ vituperationes de intolerabili laxitate doctrinæ, morum, & disciplinæ, quæ, his auctoribus, universam ferè Ecclesiam corrupit. Hæc autem fraudolenta fallacia uno verbo HYPOCRISIS vulgo dicitur. Hujusmodi vero detestabile vitium insigne prorsus in Manichæis hæreticis fuit. Ad coercendam temerariam hanc Manichæorum jactantiam coactus est Augustinus duos in lucem edere egregios libros, quorum unus de Moribus Ecclesiæ Catholicæ, alter de Moribus Manichæorum inscribitur (1): *Baptizatus cum Romæ essem*, inquit S. Doctor, *nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsa, & fallaci continentia, qua se ad imperitos decipiendos veris Christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de Moribus Ecclesiæ Catholicæ; alterum de Moribus Manichæorum*. Fictam, simulatamque Manichæorum castitatem, & continentiam (2) multis in locis Augustinus exagitat: nec esse Christianam vitam, quam ostentant; nec eorum mores cum eorum lingua, testibus adhibitis quos corruperant, convenire demonstrat. Caveant a blandis Manichæorum verbis, a simulata modestia, a fictâ animi demissione auditores suos admonet Hierosolymitanus Cyrillus (3); quoniam serpentes, ut inquit, sunt, & genmina viperarum. Leo autem Magnus (4) ad Christianum populum verba faciens, ne fidem habeat Manichæis, monet, quod simulata pietate, ficta castitate, decantatis

Manichæi severitatis, & continentiæ callidi simulatores, ut omnes hæretici.

(1) August. lib. 1. Retract. cap. 7. num. 1. tom. 1.

(2) Idem lib. 1. de Morib. Eccl. Cathol cap. 2. num. 2. tom. 1. Idem lib. 5. contra Faust. cap. 11. tom. 8. Idem lib. de Contin. cap. 12. num. 26. tom. 6. Idem lib. 5. contra Faust. cap 5. tom. 8. Idem lib. 1. de Morib. Eccl. Cathol. cap 35. num 80. tom. 1. Idem lib. 6. Confess. cap. 7. num. 11. tom. 1.

(3) Cyril. Hierosolym. Catech. 6. num 20. edit. Touttee.

(4) Leo M. Serm. 23. cap 6. tom. 1. edit. Cacciar, Idem Serm. 33. cap. 5. tom. 1. edit. Cacciar.

'is jejuniis, sordidis vestibus, illitoque vultus pallore, fucum faciant simplicibus, quo decipiantur ncauti. Petrus autem Siculus (1), testis de visu, narrat Manichæos, etsi parasitos, ut se jejunantes imularent, faciem sibi aquis atro colore tinctis inicere consuevisse, eaque fraude durioris vitæ se'eritatem, asperitatemque ostentarent. In his auem Manichæorum moribus non absimilem omnio formam, faciemque vides, excepto vultus palore, hypocrisis Janseniana.

XXXV. At perditi Manichæorum mores discreabant omnino a severitate vitæ & doctrinæ, quam allaciter ostentabant (2): *Novem*, inquit Augustius, *annos totos magna cura, & diligentia vos auvi. Nullus mihi Electorum innotescere potuit, qui :cundum hæc præcepta, aut non deprehensus in pecato, aut certè suspicioni subditus fuerit.* Hoc au:m loco narrat Augustinus locupletissimus testis am de visu, tum a certissimis nuntiis de auditu, on modo Electorum, qui singularem vitæ austetatem profitebantur, sed illorum etiam Episcoorum, qui apud Manichæos singularis sanctitatis, severitatis fama præ ceteris eminebant, rixas, aledicentias, calumnias, ebrietates, voracitas, effrænatas item libidines, stupra sacrarum rginum, adulteria, non modo occulta, & priata; sed publica etiam, atque notoria, cum maima piorum huminum offensione, querela, ac :testatione. Hæc autem flagitia adeo tetra, & bscœna, Augustino teste, quod proprium hypo'itarum est, sub fallaci, simulataque specie severoris vitæ, & doctrinæ, singularisque continene, & sanctitatis, a probatissimis Manichæorum lectis, & Episcopis exercebantur. Cum autem lanichæi, quod omnium hæreticorum est, maxime

Manichæorum mores in omni vitiorum genere perditissimi.

Injusta Manichæorum querela de moribus Catholicorum.

(1) Petrus Siculus Histor. de vana, & stolida Manich. hæres. g. 519. tom. xvi. Biblioth. PP. edit Paris.
(2) August. lib. 2. de Morib. Manich. a cap. 19. ad 20, & num. 68. ad 74. tom. 1.

me verò Jansenianorum, exprobrarent catholicis corruptos depravatosque Christianos mores, iniquam illorum accusationem Augustinus redarguit, quod Manichæorum plerique in tam eorum exiguo numero, ac pene nullo, illis ipsis flagitiis obstricti essent, quæ in paucis quibusdam, ex innumerabili pene catholicorum multitudine, reperiri, mirabile omnino non est (1). *At multi*, inquiunt, *Christiani catholici vocantur, & sunt adulteri, raptores, avari, ebriosi, & quidquid aliud sanæ doctrinæ adversatur. Quid autem inter vos*, Augustinus respondet, *in tam exiguo, ac penè nullo numero vestro? Nonne plerique sunt tales?* Præterea catholicorum doctrina non alios mores præscribit, nisi pios & sanctos: contra vero doctrina Manichæorum turpissima præscribebat flagitia, hisque adversante, & repugnante natura, quodque impium maximè atque sacrilegum est, falsa pietatis, & religionis objecta specie, Auditoribus suis exercenda suadebat. Hæc autem ita tetra sunt, & obscœna, ut nonnisi Augustini verbis ea proponere audeam (2): *Nonne*, inquit, *vos estis, qui filios gignere eo quod animæ ligentur in corpore, gravius putatis esse peccatum, quam ipsum concubitum? Nonne vos estis qui solebatis monere, ut quantum fieri posset observaremus tempus, quo ad concubitum mulier apta esset, eoque tempore a concubitu temperaremus, ne carni anima implicaretur? Ex quo illud sequitur non liberorum procreandorum causa, sed satiandæ libidinis habere conjugem censeatis.* Item alio loco (3): *Hoc maxime in conjugio detestamini, quod filii procreantur; ac sic Auditores vestros, dum cavent ne feminæ, quibus miscentur, concipiant, etiam uxorum adulteros facitis .... Vestra lege metuentes, ne particulam Dei sui sordibus carnis afficiant, ad explendam tantum libidinem feminis impudica*

Teterrima Manichæorum doctrina de vitanda filiorum procreatione.

(1) August. lib.20 contra Faustum cap.23. tom.8.
(2) Idem lib.2. de Morib. Manich. cap.18. num.65. tom.1.
(3) Idem lib.15. contra Faustum cap.7. tom.8.

*nadica conjunctione miscentur, filios autem inviti suf-
cipiant, propter quod solum conjugia copulanda sunt.
Quo ablato mariti erunt turpiter amatores, meretri-
ces uxores, thalami fornices, Soceri Lenones.* Quid
autem, Auctoribus Manichæis, præstandum sit a
maritis, ne conjuges prolem concipiant, satis aper-
te, servata verecundia, sequenti loco Augustinus
significat (1). *Perversa lex Manichæorum, ne Deus
eorum, quem ligatum in omnibus seminibus plangunt, in
concepta feminæ arctius colligetur, prolem ante omnia
devitari a concumbentibus jubet, ut Deus eorum turpè
lapsu potius effundatur, quam crudeli nexu vinciatur.*

XXXVI. Quod autem ad religionem, vel po-
tius ad nefariam, impiam, & sacrilegam Mani-
chæorum superstitionem pertinet, hi christianos se
quidem prædicabant, sed solo nomine, non re chri-
stiani erant (2). Gentiles illos, & ex Gentilibus
oriundos, nimirum ex Scythiano, Terebintho, &
Manete, Titus Bostrensis affirmat. Expertes enim
erant christiani baptismi, quod multis locis Augu-
stinus testis locupletissimus tradit (3): *Baptismum
in aqua*, inquit S. Doctor, *nihil cuiquam perhibent
salutis afferre, nec quemquam eorum quos decipiunt,
baptizandum putant*: Item (4). *Non illic*, inquit
de Manichæis agens, *ita appellari Catechumenos,
tanquam eis baptismus quandoque debeatur*, Præte-
rea (5). *Manichæi lavacrum regenerationis, idest,
aquam ipsam dicunt esse superfluam, nec prodesse ali-
quid profano corde contendunt*. Accedit Leo Magnus,
qui de baptismo loquens (6), *Ab hoc sacramento*, in-
quit, *dilectissimi infanus Manichæorum error alienus
est, nec ullum habent in Christi regeneratione con-
sortium*. At Felix Electorum gregalis in ea solemni,

Manichæi superstitione Gentiles Christianum baptismum rejiciebant.

H &pu-

(1) August. lib. 22. contra Faustum cap. 30. tom. 8.
(2) Tit. Bostrao. lib. 3. advers. Manich. pag. 934.
(3) August. lib. de Hæres ad quod vult Deum hære 46. t. 8.
(4) Idem lib. 3. contra Petilian. cap. 17. num. 20. tom. 9.
(5) Idem lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 2 n. 3. tom. 10.
(6) Leo M. serm. 23. cap 4. tom. 1. edit. Cacciar.

& publica, quam habuit cum Augustino disceptatione, (1). *Si adversarius*, inquit, *nullus contra Deum est, ut quid baptizati sumus? ut quid Eucharistia? ut quid Christianitas?* Ad hæc respondeo, sicut Manichæorum Eucharistia, christiana Eucharistia non erat, sed facinus exsecrabile, quod demonstrandum est infra: ita Manichæorum baptismus, christianus baptismus non erat, sed detestabile prorsus flagitium. Profecto Jerosolymitanus Cyrillus de Manichæorum baptismo loquens (2): *Lavacrum*, inquit, *ipsorum coram viris, & mulieribus non audeo dicere*. Profecto baptismum in aqua Augustino teste Manichæi repudiabant. Aquam enim detestabantur (3). *Si quis laverit se in aqua*, inquit apud Archelaum Turbo Manichæi discipulus, *animam suam vulneras*. Leo vero Magnus oleo baptizare solitos Manichæos affirmat. Sed iterum nobis occurritur auctoritate Hieronymi, qui Hilarium Luciferianum, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, inconstantiæ accusat, & repugnantiæ, quòd baptizatos ab Arianis non reciperet, cum olim Romæ a Manichæis, & Hebionitis baptizatos recepisset (4). *Diaconus*, inquit, *eras, o Hilari, & a Manichæis baptizatos recipiebas, Diaconus eras, & Hebionis baptisma comprobabas: repente postquam exortus est Arius, totus tibi displicere cœpisti*, Ad hæc dicendum, verisimile esse, Manichæos ut se occultarent, christianosque se simularent, maxime vero Romæ, ubi majus sibi imminebat periculum, quandoque Catechumenos suos ritu christiano baptizasse, quemadmodum simili professionis christianæ simulatione, ut videbimus infra, cum Christianis cæteris ad christianam Eucharistiam accedebant, Profecto Photius hæc

Manichæi, ut se Christianos fingerent, quandoque simulate, & fallaciter baptizabant.

(1) August. lib. 1. de Act. cum Fel. Manich. cap. 19. tom. 8.
(2) Cyril Hierosolym. Catech vi. num. 33. edit. Toutiee.
(3) Turbo apud Archel. disput advers. Manich. edit. Vales. ad Calcem tom. 1. Histor. Ecclesiast. pag. 391.
(4) Hieron. Dialog. contra Lucifer. pag. 101. in fine tom. 2. edit. Manut.

hæc de ætatis suæ Manichæis narrat (1). *Etiamsi salutarem baptismum* (Manichæi) *respuant, se tamen ipsum admittere simulant, futiliter arbitrantes Crucem, & baptisma corpori prodesse; sed veram vim, & operationem, nec ad animæ mundationem, nec ad aliam quampiam ejus utilitatem conferre arbitrantur. Sæpe ex illis non pauci in venerandi corporis, & sanguinis Christi Dei Nostri communione sunt; sed, ut simpliciores circumveniant tantum, illis participant.*

XXXVII. Quod attinet ad cultum Dei, Manichæos Solem tanquam Deum, bonum purum, divinum ignem, divinæque naturæ, Persica superstitione adorare tradit Titus Bostrensis (2). *Solem*, inquit, *honorat, & ut existimavit, decernit non habere mistionem mali. Manichæus cum Solem facit Divinum tanquam ex natura boni, videtur similem igni facere, imo talem, qualis est ignis, introducit. Nulla fides habeatur Manichæo sceleftissimo, & in Deum blasphemo, qui Solem cum Deo confert, & ex substantia ejus esse dicit.* Id ipsum de Manichæis testatur Augustinus (3). *Istum Solem*, inquit, *quem pariter non solum cum bestiis majoribus, sed etiam cum muscis, & vermiculis cernimus, illi sic colunt, ut particulam dicant esse lucis illius, in qua habitat Deus.* Deum enim lucem esse, qualis e lucidis quibusque corporibus emicat, Manichæi docuerunt. Hinc illa de Manichæis verba Augustini (4), *Animæ meliores sunt, quam quorumlibet corporum quamlibet quamvis splenditissimus fulgor. Quem pro ipsius Dei substantia quidam, quamvis cum magno errore, venerantur.* Cum autem statuissent communem omnium oculis lucem ipsam esse naturam Dei, consentaneo errore hæc de Trinitate sentiebant, quæ his verbis acriter Augustinus reprehendit (5). *Hic obsca-*

Manichæi Solem tanquam Deum adorabant.

H 2

(1) Phot. Hist. Manich. pag. 353. prope finem edit. Montfauc.
(2) Titus Bostren. adverf. Manich lib. 2. pag. 921.
(3) August. lib. 1. de Gen. contra Manich. cap. 3 n. 6. tom. 1.
(4) Idem lib 3. de Lib. Arb. cap. 5. num. 16 tom. 1.
(5) Idem lib. 20. contra Faustum cap. 6. tom. 8.

obscœnissimis pannis vestris conamini assuere ineffabilem Trinitatem, dicentes, Patrem in secreto quodam lumine habitare; Filii autem in Sole virtutem, in Luna Sapientiam; Spiritum vero Sanctum in aere. Quibus verbis S. Doctor satis aperte significat, auctoribus Manichæis, Patrem quamdam esse secretissimam lucem; lucem Solis esse virtutem Filii; lucem Lunæ ejusdem esse sapientiam, Spiritum vero Sanctum lucem aeris esse. Profecto Christum Dominum, quem Deum tantùm sub simulata hominis specie affirmabant, Solem hunc esse oculis omnium conspicuum Augustino teste affirmabant (1). *Manichæi*, inquit, *Solem istum oculis carnis visibilem, expositum, & publicum non tantum hominibus, sed etiam pecoribus ad videndum, Christum Dominum esse putaverunt.* Consonat superioribus Leo M., qui Manichæos affirmat (2), *In Sole, & Luna colere Christum, & sub nomine Spiritus Sancti ipsum talium impietatum magistrum adorare Manichæum.* Divinum autem cultum, quem Soli, & Lunæ præstabant, communem fuisse cum Electorum, tum Auditorum his verbis Augustinus testatur (3). *Solem, & Lunam cum eis*, idest cum Electis Auditores, *adorant & orant.* Ritus autem colendi duos hos insignes Planetas talis ab Augustino narratur (4). *Orationes faciunt ad Solem per diem, quaqua versum circuit, & ad Lunam per noctem si apparet; Si autem non apparet ad Aquilonarem partem, qua Sol cum occiderit ad Orientem revertitur, stant orantes.* Et iterum alio loco Manichæos vituperans (5). *Ita fit*, inquit, *ut ad istum quidem Solem dorsum cervicemque curvetis, non autem ipsum tam clara rotunditate conspicuum, sed nescio quam navim per foramen triangulum micantem, atque lucentem, quam confictam cogitatis, adoretis.* Neque

Manichæi simul cum Sole Lunam etiam adorabant.

(1) August. tract. 34. in Jo. Evang. num. 2. tom. 3.
(2) S. Leo M. serm. 33. cap. 4. tom. 1. edit. Cacciar.
(3) August. Epist. 236. ad Deuter. Episc. num. 2. tom. 2.
(4) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. t. 8.
(5) Idem lib. 20. contra Faustum cap. 6. tom. 8.

Neque vero in adorando Sole tantum cum Luna continuerunt se Manichæi; sed Deos quam plurimos venerati sunt (1). *In festa sua*, inquit, de Manichæis Augustinus, *numerosissimam Deorum familiam commemorant, atque commendant, quam, pro ipsius veritatis luce, venerantur, & adorant*. Hæc eadem de Manicheis testatur Titus Bostrensis (2): *Omnia venerantur nec aliud sciunt quam omnia adorare: ac semper se humi sternunt, ac mentem habeat elatam, errantque, ac vagantur sensu animi: omnia pro sua licentia verterunt in Deos: vicerunt gentiles & multitudine, & vanitate*. Consonat superioribus Socrates, qui in Ecclesiastica Historia hæc posteritati mandavit (3). *Multos Deos Manichæus colendos esse, ut pote impius præcipit: Solem quoque adorandum esse docet*. Nec cuiquam id mirum esse videatur. Cum enim statuerint Manichæi omnia corpora ex natura Dei boni, permixta cum Dei mali natura constare; & homines, & pecudes, & frutices, & lapides cum cæteris rebus omnibus, tanquam Semideos, venerari cogebantur.

Manichæi corpora omnia, quod Dei natura partim coalescerent, tamquam Semideos adorabant.

XXXVIII. Quod spectat ad sacra, quin potius exsecranda Electorum mysteria, hæc ita tetra, impia, obscæna, & nefaria erant, ut non modo dictu, & auditu; sed scitu etiam videantur turpia. Itaque propter intolerabilium mysteriorum hujusmodi impietatem, & turpitudinem ab oculis Auditorum suorum ea removebant Electi, & his operam dabant. Quod Augustinus indicat verbis illis (4): *Quia non possunt ab Auditoribus vestris purganda vobis talia animantium semina afferri, quis non suspicetur secretam de vobis ipsis*, manducando, *inter vos fieri talem purgationem, & ideo illis, ne vos deferant, occultari?* At exploratissimis argumentis patefacta est impia, & sordida illa Electorum consuetudo in con-

Electorum sacra mysteria, Auditoribus interdicta, impia maxime & exsecranda.

(1) August. contra Adimant. cap.11. tom.8.
(2) Titus Bostran. lib.3. advers. Manich. pag.934.
(3) Socrates lib.1. Histor. Ecclesiast. cap.22. edit Vales.
(4) August. lib.2. de Morib. Manich. cap.18. num.66. t.1.

confectione præsertim & usu exsecrandæ illorum eucharistiæ. Ut ingenitæ humanis animis verecundiæ parcat, horrendum facinus subobscure refert Hierosolymitanus Cyrillus: (1) *Vereor*, inquit, *dicere, cuinam rei caricam intingentes miseris porrigant. Signis dumtaxat detegatur. Viri quæ in somnis illudunt, cogitent; & mulieres quæ in menstruis. Manichæus in medium, ut judicat, altare istbæc imponit, linguamque, & os commaculat.* At rem obscure a Cyrillo significatam Augustinus clara voce depromit, publicisque actis, & certissimis tabulis utriusque fori, Pontificii, & Cæsarei, confirmat (2): *Qua occasione*, inquit, *vel potius exsecrabilis superstitionis quadam necessitate, coguntur Electi eorum velut Eucharistiam conspersam humano semine sumere, ut etiam inde, sicut de aliis cibis quod accipiunt, substantia illa divina purgetur.* Cum autem tam nefarium flagitium Manichæorum Electi, utpote perquamocculte ab eis celebratum, pertinaciter, atque præfracte negarent, illud Augustinus productis legitimis actis demonstrat (3). *Sed hoc*, inquit, *se facere negant, & alios nescio quos sub nomine Manichæorum facere affirmant. Detecti sunt tamen in Ecclesia, sicut scis, apud Carthaginem jam te ibi Diacono constituto, quando instante Urso Tribuno, qui tunc domui regiæ præfuit, aliqui adducti sunt, ...* Cetera propter nimiam turpitudinem reticenda censeo. Post Margaritam adducta in judicium est quędam Eusebia Manichæa, quæ cum confessionem Margaritæ ignoraret, primum, interrogante Urso, negavit, deinde cum se detectam cerneret, horrendum facinus testata est (4). *Tunc*, pergit Augustinus, *Eusebiam quamdam Manichæam, quasi sanctimonialem idipsum propter ipsum passam vix* Ursus com-

Electorum maxime tæda, impia, & sacrilega, dirisque omnibus exsecranda Eucharistia.

De permistione nefanda Electorum Eucharistiæ publica, solemnia, atque certissima monumenta.

(1) Cyril. Hierosolym. Catech. 6. num. 33. edit Touttee.
(2) Aug. lib. de Hæref. ad Quodvultdeum hæref. 46. pag. 11. tom. 8. (3) Idem omnino ibidem.
(4) Idem omnino ibidem.

compulit confiteri, cum primum se asseruisset integram, atque ab obstetrice inspici postulasset. Quæ inspecta, & quid esset inventa totum illud turpissimum scelus. . . . similiter indicavit. Ejusdem flagitii confessionem, præter Margaritæ, & Eusebiæ, in tertio solemni judicio, habitam ab aliis Manichæorum Electis Augustinus narrat, ubi sub triplici nomine, Manichæorum a Manichæo, Mattariorum a mattis, seu storeis, in quibus decumbebant, Catharistarum a purgatione Dei boni a Deo malo, ejusdem sectæ fit mentio (1): *Recenti tempore*, narrat Augustinus, *nonnulli eorum reperti, & ad Ecclesiam, sicut gesta episcopalia, quæ nobis misistis, ostendunt, hoc non Sacramentum, sed exsecramentum sub diligenti interrogatione confessi sunt: quo unus nomine Viator, eos, qui ista faciunt, proprie Catharistas vocari dicens, cum alias ejusdem sectæ partes in Mattarios, & specialiter Manichæos distribui perhiberet. Omnes tamen has tres ab uno auctore propagatas, & omnes generaliter Manichæos esse negare non potuit.*

XXXIX. Quæ Augustini ætate Carthagine, eadem Romæ ætate Leonis contigerunt; eaque ita fama certissima nobilitata, ut nullus nisi temere, & impudenter revocare posset in dubium. Etenim in Romana Synodo, cui præfuit Summus Pontifex Leo, plures adfuerunt Episcopi, Præsbyterorum multitudo frequens, illustres viri, & Senatores non pauci, parsque Christiani populi non exigua, publici legitimique judicii servata forma, detecta & patefacta est impia illa & nefaria Electorum in conficienda, & administranda detestabili eorum eucharistia consuetudo. Sed Leo ipse audiatur (2). *De sacris eorum, quæ apud illos tam obscœna sunt, tam nefanda, quæ inquisitioni nostræ Dominat manifestare voluit non tacemus, ne quisquam putet nos de hac*

Legitimum, publicum, & solemne judicium, Romæ habitum coram Leone M. de exsecranda Electorum Eucharistia.

(1) Aug. lib. de Heres. ad Quodvultdeum hæres. 46. pag. 11. tom. 8. (2) S. Leo M. Serm. 15. cap. 4. tom. 1. edit. Caciar.

hoc re dubiæ famæ, & incertis opinionibus credidisse. Residentibus itaque mecum episcopis, ac presbyteris, ac in eundem consessum christianis viris, ac nobilibus congregatis, Electos, ac Electas eorum jussimus præsentari. Qui cum de perversitate dogmatis sui, & de festivitatum suorum consuetudine multa referarent, illud quoque scelus, quod eloqui verecundum est, eucharistiam suam, *prodiderunt. Quod tanto diligentia investigatum est, ut nihil minus credulis, nihil obtrectatoribus relinqueretur ambiguum. Aderant enim omnes personæ per quas infandum facinus fuerat perpetratum. puella scilicet ut multum decennis, & duæ mulieres quæ ipsam nutrierant, & huic sceleri præparaverant. Presto etiam erat adolescentulus vitiator puellæ, & episcopus ipsorum detestandi criminis ordinator. Omnium par fuit horum, & una confessio, & patefactum est exsecratum, quod aures nostræ vix ferre potuerunt. Quibus plenissime docetur nullam in hac secta pudicitiam, nullam honestatem, nullam reperiri castitatem. In qua lex est mendacium, diabolus religio, sacrificium turpitudo.* Hæc eadem iterum Leo refert, de quibus Hispanam Ecclesiam certiorem facit, quæ a Priscillianis Manichæorum simillimis tunc temporis vexabatur. Hæc enim scribit (1), *In exsecrabilibus mysteriis eorum, quæ quanto immundiora sunt, tanto diligentius occultantur, unum prorsus nefas est, una est obscœnitas, & similis turpitudo. Quam etsi eloqui erubescimus, sollicitissimis tamen inquisitionibus indagatam, & Manichæorum, qui comprehensi fuerant, confessione detectam, ad publicam fecimus pervenire notitiam: ne ullo modo posset dubium videri, quod in judicio nostro, cui non solum frequentissima præsentia Sacerdotum, sed etiam illustrium virorum dignitas, & pars quædam Senatus, ac plebis interfuit, ipsorum, qui omne facinus perpetrarant ore reseratum est. Sicut*

eo,

(1) Idem Epist. 15. ad Turrib. Episc. Asturic. cap. 16. tom. 2. edit Cacciar.

ea, quæ ad dilectionem vestram nunc direximus, gesta testantur. Hæc ipsa acta in Romana Synodo habita contra turpissima illa Manichæorum mysteria, quæ ad Hispanam Ecclesiam dìtexerat, ad omnes Episcopos per Italiam dispertitos Leo M. transmisit data Synodica epistola, in qua hæc habentur (1): *Omnia, quæ tam in scripturis, quam in occultis traditionibus suis habent profana, vel turpia, ut nosset populus quid refugeret, aut quid vitaret, oculis christianæ plebis certa manifestatione probavimus: adeout ipse, qui eorum dicebatur Episcopus a nobis tentus, proderet flagitiosa in suis mysteriis, quæ teneret, sicut gestorum series poterit vos edocere.* Has autem perquamimpias, & obscenissimas turpitudines Manichæorum Electi, Leone teste, potissimum exercebant celeberrimo apud eos, lætissimoque die, quo prope festum Paschæ memoriam turpissimæ mortis magistri sui Manetis recolebant: isque dies festus Bema ab eis, ex magnifico eminentis altaris apparatu, tribunalis instar, appellabatur (2). *In ipso præcipuo*, inquit S. Leo, *observantiæ suæ festo, sicut proxima eorum confessione patefactum est, ut animi ita corporis pollutione lætantur, nec in fide integritatem, nec in pudore servantes; ut & in dogmatibus suis impii, & in sacris inveniantur obscœni.* Postremo, Theodoreto teste, veneficiis cantionibus magicis, atque præstigiis impietatem, obscænitatemque mysteriorum suorum cumulabant: qui (3): *Præstigiis quoque*, inquit, *egregie utuntur scelerata sua mysteria peragentes.*

Bematis dies festus apud Manichæos turpissimis mysteriis, & horrendis præstigiis inquinatissimus.

XL. Quoniam vero supra mentionem fecimus Manichæi Bematis, placet testimonio Augustini paulo illud explicatius exponere. Festum Bematis mense Martio exeunte, quo cædes Manichæi contigit, ab Electis celebrabatur. Quod verbis illis Augustinus si-

Bematis dies exeunte Martio, prope Pascha, quo die detracta pelle Manes interiit, solemnitate maxima ab Electis celebrabatur.

I

(1) Leo M. Epist. 8. ad Ep. per Ital. cap. 1. t. 2. edit. Caccias.
(2) Idem serm. 23. cap. 4. tom. 1. edit. Caccear.
(3) Theodor. lib. 1. Hæretic. Fabul. pag. 272.

significat (1). *Vultis ut vos dicamus in mense Martio Martem colere? Illo enim mense Bema vestrum cum magna festivitate celebratis*. Sed cum apparatu magnifico, & sumptuoso, magnaque pompa, & solemnitate Bema suum; contra vero vix, vel admodum parcè, & tenuiter diem Paschæ Manichæi celebrarent, percontanti Augustino, quæ tandem hæc apud eos utriusque diei differentia, falsam hanc, impiam, & detestabilem contrariæ consuetudinis causam attulerunt (2). *Cum sæpe a vobis quærerem*, inquit Augustinus, *illo tempore, quo vos audiebam, quæ causa esset, quod Pascha Domini plerumque nulla, interdum a paucis tepidissima celebritate frequentaretur, nullis vigiliis, nullo prolixiore jejunio indicto Auditoribus, nullo denique festiviore apparatu, cum vestrum Bema, id est, diem, quo Manichæus occisus est, quinque gradibus instructo tribunali, & pretiosis linteis adornato, ac in promptu posito & objecto adorantibus, magnis honoribus persequimini, respondebatur, ejus diem passionis celebrandam esse, qui vero passus esset: Christum, qui natus non esset, neque verum, sed simulatum carnem humanis oculis ostendisset, non pertulisse, sed finxisse passionem*. Hoc celeberrimo apud eos die, ut a Leone accepimus, impia illa nefariæ Eucharistiæ mysteria Manichæi exercebant: quamquam, eodem Leone teste, ut christianos se simularent, interdum ad christianam Eucharistiam cum christiano populo accedere non formidabant. Ab usu tamen calicis abstinebant omnino, quod vinum, ut pote apud eos fel principum tenebrarum, omnibus exsecrationibus detestarentur (3). *Vinum*, inquit Augustinus, *non bibunt dicentes fel esse principum tenebrarum, nec musti aliquid vel recentissimi sorbent*. Audacissimam hanc maximeque sacrilegam Manichæorum fraudem Sanctus

Bema, tribunal, altaris instar, gradibus quinque sublime & pretiosa supellectili ornatum.

Manichæi, ut se occultarent ad Eucharistiam cū christianis ceteris accedebant abstinentes ab usu calicis, quod vinum execrabantur.

(1) August. lib. 18 contra Faustum cap. 5. tom. 8.
(2) Idem contra Epist. Manich. cap. 8. num. 9. tom. 8.
(3) Idem lib. de Hæres. ad Quodvultdeum Hæres. 46. tom. 8.

ctus Leo verbis his insectatur (1). *Cum ad tegendam infidelitatem suam nostris audeant interesse mysteriis, ita in Sacramentorum Communione se temperant, ut interdum, ne penitus latere non possint, ore indigno Christi Corpus accipiant, Sanguinem autem Redemptionis nostræ haurire omnino declinent. Quod ideo vestræ notum facimus Sanctitati, ut vobis hujuscemodi homines, & his manifestentur indiciis, & quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio a Sanctorum societate Sacerdotali auctoritate pellantur.* Cum autem ea ætate in potestate esset christiani populi, tam sub una panis, quam sub utraque panis, & vini specie communicare, ad detegendos sacrilegos Manichæos præcipit S. Leo, ut deinceps christianus populus sub utraque specie communicet, ut siquem ab usu calicis abstinere viderint, eum esse Manichæum intelligant, sibique hominem tanquam Manichæum denuntient. Ad ceteras insigniores, & maxime impias Manichæorum consuetudines accedebat servatum apud eos die Solis, & Lunæ jejunium in utriusque honorem Planetæ, quos potissimum tanquam Deos colebant. De quibus Leo M. (2). *Nulla*, inquit, *nos contagio eorum error attingat, qui sua maxime observantia polluuntur, servientes creaturæ potius, quam Creatori: & luminaribus cæli stultam abstinentiam devoventes, quos nemo ambigat esse Manichæos, qui in honorem Solis, & Lunæ, die Dominico, & secunda feria deprehensi fuerint jejunare: uno perversitatis suæ opere bis impii, bis profani sunt, qui jejunium suum & ad siderum cultum, & ad resurrectionis Christi instituere contemptum. Resiliunt enim a Sacramento salutis humanæ; & Christum Dominum Nostrum in vera nostræ naturæ carne vere natum, vere passum, vere sepultum, vere suscitatum esse non credunt. Et ob hoc diem salutis, & lætitiæ nostræ sui jejunii mærore condemnant.* Hunc ipsum sacrilegum Ma-

Abstinentes ab usu calicis, præter communem consuetudinem, se Manichæos, tali abstinentia produnt.

Manichæi die Dominica in honorem Solis, & feria secunda in honorem Lunæ jejunabant.

(1) S. Leo M. serm. 41. cap. 5. tom. 1. edit Caccier.
(2) Idem omnino ibidem.

Manichæorum ritum detestatur etiam verbis his Augustinus (1). *Die Dominico jejunare scandalum est; magnum maxime postquam innotuit detestabilis, multumque fidei catholicæ, Scripturisque divinis apertissime contraria hæresis Manichæorum, qui suis Auditoribus ad jejunandum istum tamquam constituerunt legitimum diem, per quod factum est, ut jejunium diei dominici horribilius haberetur*. Postremo, ne omnia persequar, panem pauperibus, quamvis fame conficerentur, negabant, ridicula plane de causa, quæ tamen ex antiqui eorum fabula consequebatur (2). *Panem mendicanti*, inquit Augustinus, *non porrigit. Videte si potest esse major iniquitas ista justitia. Panem mendicanti non porrigit. Quæris, Quare? Ne vita, quæ est in pane, quam dicunt membrum Dei, substantiam Divinam mendicus illa accipiat, & liget eam in carne*,

Manichæi panem pauperibus non porrigebant ridicula plane de causa.

CAPUT IX.

De latis jure Cæsareo contra Manichæos legibus.

XLI. Novennio post acerbissimum Manichæi supplicium jam in Africam irruperant Manichæi. Etenim, ut supra attigimus, mors Manichæi incidit in annum Christi CCLXXVIII. mense Martio exeunte. Eo enim anno incidit Festum Paschæ in diem XXXI. Martii. Manichæi autem diem obitus Magistri sui Manichæi mense Martio celebrabant, quem diem a gradibus magnifici altaris Bematis festum appellaverunt. Decretum vero Diocletiani, & Maximiani contra Manichæos in Africa commorantes, quod est omnium jure Cæsareo contra Manichæos primum, anno Christi CCLXXXVII. ad

(1) August. Epist. 36. ad Casulanum cap. 12. n. 27. tom. 2.

(2) August. Enar. in Psalt. 140. num. 12. tom. 4. Item. lib. 2. de Morib. Manich. cap. 15. num. 36. tom. 1. Item lib. 3. Confess. cap. 10. num. 18. tom. 1. Item S. Athan. Histor. Arian. ad Monach. num. 61. pag. 381. p. 1. tom. 1.

ad Julianum Proconsulem Africæ datum est. Quod jam exhibemus (1). *Diocletianus & Maximianus nobilissimi Augusti Juliano Proconsuli Africæ. Manichæos audivimus eos nuperrime, veluti nova inopinata prodigia in hunc mundum de Persica adversaria nobis gente progressa, vel orta esse; & multa facinora ibi committere. Jubemus auctores quidem ac principes una cum abominandis scripturis eorum severiori pœnæ subjicere, ita ut flammeis ignibus exurantur: consentaneos vero, & usque adeo contentiosos capite puniri præcipimus, & eorum bona fisco nostro vindicari sancimus. Siqui ad hanc inauditam, & turpem, atque per omnia infamem sectam, vel doctrinam Persarum se transtulerunt, eorum patrimonia fisco nostro associari facies.* Mirum cuipiam fortasse videbitur, Diocletianum, & Maximianum impios scelestosque homines, nullaque probitate præstantes, severissimam legem contra Manichæos tulisse; sed admiratio cessabit, si consideremus, Manichæos tanquam communes & maxime capitales totius humani generis hostes habitos semper fuisse. Cum enim a nulla, etsi perditissima, etsi naturæ universæ contraria libidine temperarent, liberorum dumtaxat procreationem, sine qua humanum genus permanere non potest, diris omnibus exsecrabantur, & tanquam ab inexpiabili scelere, sic a procreandis liberis vel conjuges deterrebant, quo nihil humano generi repugnantius. Christianorum autem Imperatorum graves admodum contra Manichæos consecutæ sunt leges. A Valentiniano I. die 2. Martii anno Christi 372. lex ista sancitur, (2). *Ubicumque Manichæorum conventus, vel turba hujusmodi reperitur, doctoribus gravi censione mulctatis, domus, & habitacula, in quibus profana institutione docetur, fisci juribus indubitanter adsciscantur.* Datum vi. Non. Martii Trever. Modesto, & Arintheo COSS.. Theodosius autem senior die 17. Junii

Diocletiani, & Maximiani decretum contra Manichæos in Africa commorantes ad Julianum Proconsulem Africæ datum an. Chr. 287.

Valentiniani I. Decretum contra Manichæos datum vi. Non. Mar. Modesto, & Arintheo COSS. idest, die 2. Mar. anno 372. Treveris.

Theodosii senioris decretum contra Manich. datum xv. Kal. Jun. Romæ Primasio, & Promoto COSS. idest die 17. Junii an. 389.

(1) Apud Baron. ad an. Christi 287.
(2) Cod. Theod. lib. 3. de hæret.

nii anno 389. severioribus pœnis impiam Manichæorum sectam hac lata lege coercuit (1). *Quicumque sub nomine Manichæorum mundum solicitant, ex omni quidem orbe terrarum, sed quam maxime ob hac urbe pellantur sub interminatione judicii. Voluntates autem eorumdem, quinimo ipsa etiam facultates populo publicata nec vim testamentorum, nec derelinqui per eos, aut iisdem fas sit: nihil ad summum sit his commune cum mundo.* Datum xv. Kal. Julii. Romæ Timasio, & Promoto COSS.. Hanc Theodosii legem indicare videtur Ambrosius, qui eo ipso anno hæc literis commendavit (2): *Manichæus est, qui abnegat veritatem, qui carnem Christi negat. Et ideo non est illius remissio peccatorum, sed est impietas Manichæorum, quam & Clementissimus exsecratus est Imperator.*

Decretum Valentiniani III. contra Manich. datum XIII. Kal. Julii Romæ Valentinian. Aug. IV., & Nomo COSS. idest die 19. Jun. anno 445.

XLII. Ad superiores contra Manichæos jure Cæsareo sancitas leges accedit Novella Valentiniani III., data die 19. Junii anno 445. Sedente S. Leone Magno, quæ est hujusmodi (3): *Imperatores Theodosius, & Valentinianus Albino P.P. & Patricio: Superstitio Paganorum quoque damnata temporibus,* (Diocletiani, & Maximiani) *inimica publicæ disciplinæ, & hostis fidei christianæ ad excidium sui clementiam nostram non immerito provocavit. Manichæos loquimur, quos exsecrabiles, & toto orbe pellendos omnium retro Principum statuta judicarunt. Nec dissimulationem crimina nuper detecta patiuntur. Quæ enim, & quam dictu audituque obscœna in judicio beatissimi Papæ Leonis, coram Senatu amplissimo, manifesta eorum confessione patefacta sunt? Adeout eorum qui diceretur Episcopus, & voce propria proderet, & omnia scelerum eorum secreta perscriberet, quod notitiam nostram latere non potuit, quibus tutum non est negligere tam detestandam divinita-*

(1) Cod. Theod. lib.16. tit.5. lib.18. de haret.
(2) Ambros. & Sociur. ad Siric. epist. apud Coustant. VIII. pag 674. scrip. an. 389. (3) Cod. Theod. lib. 2. tit. 2. de Manichæis.

nitatis injuriam, & *impunitum relinquere scelus, quo non solum corpora deceptorum, sed etiam animæ inexpiabiliter polluuntur. Unde .... ubicumque terrarum quisquis Manichæorum fuerit deprehensus pœnas quas in sacrilegos jura sanxerunt auctoritate publicæ severitatis excipiat. Sitque publicum crimen*, & *omni volenti sine accusationis periculo tales arguere sit facultas. Nec cuiquam licitum tutumque sit, aut celare tales, aut talibus connibere, cum omnia de his a nobis confirmata sint retro Principum constituta: ut noverint universi, hac edictali lege proposita, Manichæos dignitate militiæ*, & *urbium habitatione privandos nequis innocens talium conversatione*, & *societate capiatur. Successiones vero nec capiant, nec relinquant. Sed fisci nostri viribus aggregentur. Nec eis quod palam interdicitur ulla fraude quæratur. Injuriarum careant actione. Contractus liberos omnino non habeant, Primates uniuscujusque militiæ vel officii mox exigenda per apparitionem vestram decem librarum auri mulcta percellat, siquem hac superstitione pollutum siverit militare. Neque enim aliquid nimium in eos videtur posse decerni, quorum incesta perversitas religionis nomine lupanaribus quoque ignota vel pudenda committit. Datum* XIII. *Kal. Julii Romæ Valentin. Augusto* VI. & *Nomo COSS.* Hanc Valentiniani sanctionem, quæ magni Leonis tempore lata est, eodem Leone teste, Romæ contra Manichæos in suis erroribus pertinaces executioni mandatam fuisse compertum est, de quibus Leo (1): *Aliquanti*, inquit, *qui ita se demerserant, ut nullo his auxilii posset remedio subveniri, secundum christianorum Principum constituta, ne sanctum gregem sua contagione polluerent, per publicos judices perpetuo sunt exilio relegati.* Theodosius vero junior die 30. Maii, anno 428. multo severiorem contra Manichæos legem tulerat, qua homines nequissimorum omnium nequissimos etiam supplicio ultimo plectendos esse con-

Decretum Theodosii Junioris contra Manichæos datum die 30. Maii an. 428.

(1) S. Leo M. Epist. 8. ad Episc. per Italiam cap. 2 tom. 2. edit. Cacciar.

constituit. Sic enim decernit, (1): *Qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt Manichæi, nusquam in Romanam locum conveniendi, morandique habeant facultatem. Manichæi etiam ae civitatibus pellendis, & ultimo supplicio tradendis, quoniam his nihil relinquendum loci est, in quo ipsis quoque elementis fiat injuria.* Severitatem tamen pœnarum, quas in Manichæos christiani Imperatores constituerunt, sæpe, christiano populo intercedente, urbis Præfecti, & Provinciarum Proconsules non mediocriter mitigabant. Nihilo tamen minus de illata sibi crudeli injustaque persecutione Manichæi luctuosis questubus, quemadmodum nostræ ætatis hæretici, nulla suffragante sibi æquitate, conquerebantur. Testem produco Augustinum temerarias Manichæorum querelas, his verbis, quæ aptissime etiam in Jansenianos cadunt, opprimentem (2): *Quomodo*, inquit, *persecutionem, & odia sustinetis propter justitiam, quibus hæc sacrilegia prædicare & persuadere justitia est? Pro qua impia perversitate, propter christianorum temporum mansuetudinem, quam parva & prope nulla patiamini cur non cogitatis? Faustus convictus, vel confessus quod Manichæus esset, cum aliis nonnullis secum ad judicium proconsulare perductis, eis ipsis christianis a quibus perducti sunt intercedentibus, levissima pœna si tamen illa pœna dicenda est, in insulam relegatus est, quod sua sponte quoque servi Dei faciunt, se a turbulento strepitu popolorum removere cupientes. Discernite quid sit persecutionem pati pro justitia: & pro qua istarum patiamini in vestris libris etiam atque etiam advertite.*

Manichæorum injustæ querelæ de legibus contra se jure Cæsareo latis.

XLIII. Cum autem sæculo VII. VIII. & IX. Manichæi, qui & Paulliciani appellati sunt, omni scelere orientalem præsertim Ecclesiam lacerarent, atque in ea funditus delenda occupati essent, orientis

(1) Cod. Justin. lib. 1. tit. 5. l. 5. (2) August. lib. 5. contra Faustum cap. 8. tom. 8.

tis Imperatores, post facta utriusque imperii Orientalis & Occidentalis divortia, quod levioribus legibus præceps Manichæorum furor frænari non posset, supplicio ultimo hoc omne genus pestiferum atque impium ex hominum communitate exterminandum esse constituerunt. Testes locupletissimi sunt Photius, & Petrus Siculus sæculi IX. Scriptores. Et Petrus quidem Siculus Basilii Macedonis in Armeniam ad componendas Manichæorum turbas legatus hæc posteritati mandavit (1). *Ad cetera sua egregia facinora divini, atque orthodoxi Imperatores addiderunt, ut Manichæi, Montanosque capitali puniri sententia juberent, eorumque libros, quocumque in loco inventi essent, flammis tradi. Quod si quis eosdem occultasse deprehenderetur, hunc eumdem mortis pœnæ addici, ejusque bona in fiscum inferri.* Singulares autem Orientis Imperatores, qui capitales leges contra Manichæos tulerunt commemorantur a Petro Siculo, & Photio Justinianus Secundus, & Michael Curopalates, & Leo Armenus. De Justiniano hæc Petrus Siculus habet (2): *Justinianus Augustus qui post Heraclium* (& Constantinum Pogonatum) *imperii sceptra gubernavit, omnes statim in unum cogi Manichæos, seorsumque interrogari jussit, atque flammis tradi quotquot essent in errore pertinaces. Itaque extructo ad acervum ingenti rogo accensi, & cremati omnes fuerunt.* Consonat Petro Siculo Photius, qui de Justiniano eodem hæc literis commendavit (3). *Imperator tum erat Justinianus, qui post Heraclium* (& Constantinum Pogonatum imperii socium) *exceperat, quique mandavit, ut hæc* (de Manichæis) *negotia perquisitioni, & justo judicio subjicerentur; itaut ii, qui resipiscere nollent, aut qui pœnitentiam olim polliciti, nihilominus in apostasia sua perseverarent, igne supplicium subirent.* De Michaelis Curopalates, qui monasticam vestem induit, & Leonis

Decretum Basilii Macedonis, & filiorum ejus de Paulicianis, qui & Manichæi, supplicio ultimo afficiendis eorumque libris comburendis.

Justiniani II. decretum de comburendis Paulicianis, seu Manichæis pertinacibus.

K

(1) Pet. Sic. Histor. de Manich. hæres. pag 820. C.
(2) Idem ibidem pag 821. B. (3) Phot. Histor. Manich. pag. 360. edit. Montfaucon.

nis Armeni, qui Michaeli ad Monachos proficiscenti successit, editis contra Manichæos decretis, hæc Petrus Siculus tradit (1): *Michael Imperator, re ignobilissimus Monachus, & Leo, qui secundum illum imperavit, cum viderent variis, & indignis modis ab hac (Manichæorum) hæresi christianos infestari, missis in omnibus ditionis Romanæ literis, omnes nefariæ sectæ participes necari jusserunt. Quare ut in Armeniam perlatum est regium edictum ad Thomam Episcopum Neocæsareæ, & ad Paracordacem Præfectum, occidebantur regio jussu quotquot morte digni existi duces reperiebantur*. Eadem cum Petro Siculo Photius his verbis narrat (2): *Michael, qui imperatoriam vestem in Monachalem commutaverat, ut ejus successor Leo, de hujusmodi apostasia perquisitionem fieri non indiligenter curarunt, sed qua par erat solicitudine per omnes Romani Imperii fines viros dignitate præstantes miserunt, ut, quandoquidem ab Episcopis, & Sacerdotibus frequenter moniti illi impii nec obtemperaverant, nec resipuerant, siquos deprehenderent tali impietate obnoxios, qui ad meliorem se frugem recipere nollent, quasi communem pestem, & generis humani perniciem gladio plecterent.*

Decretum Michaelis Curopalates, & Leonis Armeni de occandis ubique Paulicianis, seu Manichæis.

CAPUT X.

De latis jure Pontificio contra Manichæos legibus.

XLIV. JUS Pontificium admodum differt a jure Cæsareo, & Pontificiæ leges in multis discrepant a Cæsareis. Illæ enim jure clavium feruntur, quo ligandi atque solvendi potestas datur; hæ autem jure gladii, quo perimendi impios datur facultas: denique ad corrigendos illæ, ad perdendos improbos pertinent istæ. Primus Romanorum Pontificum legem contra Manichæos tulit Siricius, de quo

(1) Pet. Sic. Histor. de Manic. hæres. pag. 824. C.
(2) Phot. Histor. Manich. pag. 392. edit. Montfaucon.

quo hæc habentur (1): *Hic invenit Manichæos, quos exilio deportavit, & hoc constituit, ut non participarent cum fidelibus communionem, quia ore polluto non liceret Sanctum corpus Dominicum vexare. Hic quoque constituit, ut si quis conversus de Manichæis rediret ad Ecclesiam, nullatenus communicaret, nisi tantum relegatione Monasterii teneretur obnoxius, ut jejuniis & orationibus maceratus sub examinatione usque ad ultimum diem transitus sui humanitate Ecclesiæ Viaticum ei largiretur.* In exilium deportasse Manichæos Siricius dicitur, quòd is latam Romæ a Theodosio legem de expellendis ab Urbe Manichæis, ne Romanus Populus Manichæa contagione corrumperetur, servandam, exequendamque curaverit. Hoc Siricii decretum dubium est v. c. Coustanti; sed nec ab utroque Pagio, Antonio & Francisco, nec a Binio, nec a Labbæo, nec a Ciacconio, nec a Blanchinio, nec a Schelestratio in dubium revocari videtur. Schelestratium tantum produco, cujus hæc ad decretum illud sunt verba (2): *Cum Manichæorum hæresis non modo pravissima; sed etiam obscœna fuerit nullam leviorem pœnam illis Siricius imponendam censuit, quam perpetuæ pœnitentiæ in Monasterio peragendæ: Unde duo quædam consequuntur, & Monasteria ante Siricium fuisse, & gravioribus delictis pœnitentiam perpetuam impositam fuisse; cum hoc tamen moderamine, quod in ultimo constitutis Viaticum concederetur.*

Syricius Manichæos christianis sacris excludit, pertinaces ab urbe ejici curat, resipiscentes perpetuæ pœnitentiæ in Monasteriis addicit, quibus viaticum in mortis dumtaxat periculo indulget.

XLV. Sequuntur statuta, & provisiones S. Leonis Magni, quibus sapientissime, sanctissimeque tum Manichæorum correctioni, tum commissi sibi gregis saluti, & incolumitati consuluit. Et primo quidem fideles omnes in urbe commorantes admonuit, eisque præcepit, ut latitantes in suis latebris Manichæos indagarent, eosque Romano domicilio prohibendos suis presbyteris idest Parochis denun-

K 2 tia-

(1) Apud Anastas. Biblioth. tom. 3. sect. 55. pag. 49. edit. Blanchin. (2) Schelestrat. p. 1. antiquit. illustr. pag. 965.

tiarent (1). *Ut autem*, inquit, *in omnibus, dilectissimi, placeat Domino vestra devotio, etiam ad hanc vos hortamur industriam, ut, Manichæos ubicumque latentes vestris presbyteris publicetis. Magna est enim pietas prodere latebras impiorum.* Et Paulo infra: *Non sinantur latere homines. Cavendi sunt, ne cuiquam noceant; prodendi sunt, ne in aliqua civitatis nostræ parte consistant. Vobis dilectissimi apud tribunal Domini proderit, quod indicimus, quod rogamus.* Iterum vero atque iterum Leo fidelibus sibi commissis mandat, ut Manichæorum latibula, diversoria, gymnasia, sodalitates, familiaritatesque fideliter sibi denuntient, eosque de silentio reos apud Deum futuros esse admonet, etsi Manichæorum erroribus, flagitiisque consentaneos se non præstiterint (2). *Illud quoque*, inquit, *vos dilectissimi obsecrans moneo, ut situs vestrum innotueris ubi* (Manichæi) *habitent, ubi doceant, quos frequentent, & in quorum societate requiescant, nostræ solicitudini fideliter indicetis. Et qui tales non prodendos putant, in judicio Christi inveniuntur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu.* Præterea christianum populum sibi subjectum admonet, ut a Manichæorum conjunctione & amicitia discedat; maxime vero feminas, propter affrænatam credo atque nefariam Manichæorum libidinem, & fraudolentes blanditias, ut non modo a colloquiis, sed ab eorum etiam notitia caveant, magnopere obsecrat (3). *Hos itaque homines, dilectissimi, per omnia exsecrabiles, atque pestiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia vestra penitus abdicate: vosque præcipue mulieres a talium notitia, & colloquiis abstinete.* His autem verbis: *Quo, aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores*, significat S. Leo jamdudum Romæ Manichæos non paucos delituisse, qui

Leo Magnus indicit populo sibi subjecto ut vel sibi, vel Presbyteris suis lacitantes quos noverit in Urbe Manichæos detegat, omnesq. maxime vero feminas a Manichæorum consuetudine & familiaritate discedant.

(1) S. Leo Serm. 8. cap. 4. tom. 1. edit. Caccias.
(2) Idem Serm. 15. cap. 5. tom. 1. (3) Idem omnino ibidem.

qui jam in multo majori numero ætate sua excreverunt, cum persecutione Vandalica, devastata Africa sub Genserico Vandalorum rege, Manichæi, qui in ea Provincia plurimi versabantur, relicta Africa, Romam perfugii causa se contulerunt.

XLVI. Constituit præterea Leo, ut nec divinis, nec humanis in rebus ulla esset omnino Catholicis cum Manichæis societas, ulla conjunctio, communio ulla, sed potius summa abalienatio & distractio, ne genus illud pestiferum atque impium contagione turpitudinum & impietatum suarum sanum christiani populi corpus contaminaret, atque corrumperet (1): *Nihil*, jubendo inquit, *cum hujusmodi hominibus commune sit cuiquam christiano, nullo cum talibus habeatur societas, nullumque consortium*. Omnes autem suas curas, solicitudines, cogitationes, omnemque operam Sanctum Pontificem, investigando, detegendo, coercendo, castigando, medendo, sanando in exinguenda Manichæorum hæresi contulisse, Leo ipse hisce verbis testatur (2): *Plurimos impietatis Manichææ sequaces, & doctores in urbe investigatio nostra reperit, vigilantia divulgavit, auctoritas & censura coercuit: quos potuimus emendare correximus, ut damnarent Manichæum cum prædicationibus & disciplinis suis, publica in Ecclesia professione, & manus suæ subscriptione compulimus; & ita de voragine impietatis suæ confessos, pænitentiam concedendo levavimus*. His postremis verbis satis aperte significat S. Leo revocatos ab hæresi Manichæos publicæ se pænitentiæ, qualis tum erat in usu, addixisse: perpetuæne, excepto tamen mortis articulo, ad exemplum prædecessoris sui Siricii, an vero ad certum duntaxat tempus, hic S. Pontifex non declarat. Profecto S. Innocentius I. Siricio posterior, Leone autem prior, nullis sincere pænitentibus morti proximis, propter quæcumque publica quamvis terri-

Leo Magnus omnem cum Manichæis communionem tum divinis tum humanis in rebus prohibet.

Leo Magnus publicæ pænitentiæ resipiscentes Manichæos addicit.

(1) S. Leo M. Serm.33. cap.4. tom.1. edit. Cacciar.
(2) Idem epist.8. ad Episc. per Italiam cap.1. tom.2.

terrima crimina pænitentiæ publicæ addictis denegandum esse cum reconciliatione viaticum ad Exsuperium scribens decrevit. Hæc enim habet (1): *Communionem dari abeuntibus placuit, & propter Domini misericordiam, quasi Viaticum profecturis; & ne Novatiani heretici negantis veniam asperitatem & duritiam sequi videamur. Tribuetur ergo cum pænitentia extrema communio, ut homines hujusmodi vel in supremis suis, permittente Salvatore nostro, a perpetuo exitio vindicentur.* Sed ad Leonem me refero, de quo ætate sibi æquali Prosper in Chronico scribit, cum incolumitati Ecclesiæ maxime consuluisse, quod Manichæorum ingentes codices flammis dederit concremandos (2): *Hoc tempore*, inquit, *plurimos Manichæorum in urbe latere diligentia Papæ Leonis innotuit, qui eos de secretis suis erutos, & oculis totius Ecclesiæ publicatos omnes dogmatis turpitudines & denudare fecit, & prodere, incensis eorum codicibus, quorum magnæ moles fuerant interceptæ.* Omnium autem curarum, solicitudinum, consiliorum, quæ S. Pontifex pro salute, & correctione Manichæorum suscepit, illud remedium fuit præstantissimum, quo publicas, communesque ad Deum preces indixit, quibus ab erroribus suis, malisque moribus Dei clementiâ revocarentur. His enim verbis christianum populum in concione frequentissima est allocutus (3): *Ecclesiasticum sane, atque divinitus institutum non solum non inhibemus, sed etiam incitamus affectum, ut etiam pro talibus nobiscum Domino supplicetis: quoniam & nos deceptarum animarum ruinas cum fletu & mœrore miseramur, exsequentes apostolicæ pietatis exemplum, ut cum infirmantibus infirmemur, & cum flentibus defleamus. Speramus enim exorandam misericordiam Dei multis lacrymis, & legitima satis-*

Innocentius I. Manichæis perpetuæ pænitentiæ addictis in mortis periculo Viaticum dandum decernit.

Leo Mag. Manichæorum libros flammis comburendos tradit.

Leo Mag. communes preces judicit pro Manichæorum resipiscentia.

(1) Innoc. I. epist. ad Exsuper. apud Coustant. 6. scrip. an. 405. cap. 2. num. 6. pag. 793. (2) Prosper in Chronico Maximo II. & Paterio COSS., idest, an. 443. edit. Labbea. (3) S. Leo M. Serm. 33. cap. 5. tom. 1. edit. Cacciar.

satisfactione lapsorum: quia dum hoc in corpore vivitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio.

XLVII. Sancti Leonis exemplum Gelasius Papa imitatus est. Hic deprehensos in urbe Manichæos, quod jamdudum lege Cæsarea sancitum fuerat, Roma expelli, atque in exilium mandari curavit, eorumque codices impios atque pestiferos, quod pontificiæ curæ atque muneris præcipue fuit, flammis concremari præcepit (1). *Hujus temporibus inventi sunt Manichæi in urbe Roma, quos exilio deportari præcepit, quorum codices ante fores Basilicæ Sanctæ Mariæ concremavit.* Hæc de Gelasio apud Anastasium Bibliothecarium consentientibus Altaserra, & Francisco Pagio. Eadem prorsus cum Gelasio ratione Symmachus se contra Manichæos exhibuit, quos exilio relegari curavit, eorumque codices, & simulacra ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremavit. Sed Anastasius ipse audiatur (2). *Post hæc omnia beatus Symmachus invenit Manichæos in urbe Roma, quorum omnia simulacra vel codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremavit & eos ipsos exilio relegavit.* Talis in Manichæos adhibita a Symmacho castigatio, & animadversio evertit funditus Anastasii Imperatoris calumniam, qui propter susceptum Eutychianæ hæresis patrocinium sacris christianis interdictus a Symmacho, ita iratus exarsit, ut Sanctum Pontificem Manichæa labe contaminatum iniquissime divulgaverit. Manichæismi calumniam a se removens Symmachus, Eutychianam hæresim his non obscure verbis exprobat Anastasio (3). *Dicis esse me Manichæum. Numquid Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum suffra.*

Gelasius Papa Manichæos relegari in exilium curat, eorumque codices flammis comburi præcipit.

Symmacus Papa Manichæorum simulacra & libros ignibus tradit, ejusque opera in exilium Manichæi deportantur.

Anastasius Imperator, quod Eutychianis faveret, christiana societate prohibitus Symmacum Manichæismi falso crimine accusat.

(1) Anast. Biblioth. in Vit. Gelas. pag 194. tom. 3. edit. Blanchin. (2) Idem in Vit. Symm pag. 217. ibidem.

(3) Symm. PP. ad Anastas. Impar. epist. vi. apud Anast. Biblioth. pag. 218. ibidem.

suffragatur errori? Demum de Romano Pontifice Hormisda ejus opera Manichæos urbe pulsos, & flagellis cæsos Anastasius narrat, de quo hæc literis commendavit (1). *Hic invenit Manichæos, quos etiam discussos cum examinatione plagarum exilio deportavit. Quorum codices ante fores Basilicæ Constantinianæ incendio concremavit.* Quod vero ad disciplinam, & consuetudinem Ecclesiæ pertinet, comburendi malos, impios, superstitiosolque libros, longe antiquior ea est Hormisda, Symmaco, Gelasio, Leone. Eam enim ex Apostolica traditione ad nos desluxisse non improbabiliter arbitror. Etenim, ut in Actis Apostolorum legitur, Christum Dei Filium Ephesino Populo prædicante Paulo (2), *Multi ex his, qui fuerant curiosa sectati, contulerant libros, & combusserunt coram omnibus.* Curiosa autem illa, quæ in memoratis combustis libris continebantur, magicas artes, atque præstigias fuisse tradunt, apud Cornelium a Lapide in hunc locum pag. 284. Chrysostomus, Oecumenius, Beda, Syrus, Eusebius, quibus præstigiis, Appollonio Thyanæo eo tempore magicas artes Ephesi docente, summo studio Ephesini dediti erant. Ex his autem efficitur jure, meritoque Manichæorum libros, utpote magicas præsertim artes, atque præstigias continentes, flammis comburendos fuisse traditos. Cæterum omnium hæreticorum libros Imperatores plures comburendos sanxerunt, ex Cod. Theodos. l. ult. de Hæretic.

Hormisdas PapaManichæos flagellis caesos, atque detectos in exilium amandari curat, eorumque libros ignibus tradit.

Libri superstitiosi Paulo Ephesi prædicante, flammis comburendi, populo spectante, inficiuntur.

Libros hæreticorum comburendos Imperatores plures sanxerunt.

CAPUT XI.

De Paulicianis Manichæorum successoribus.

Paulicianí Manichai, & Manichæorum soboles, & successores.

XLVIII. DE Paulicianorum hæresi scripserunt præ cæteris S. Joan. Damascenus, Photius, & Petrus Siculus, Paulicianorum, qui Chri-

(1) Anast. Biblioth. in vita Hormis. pag. 236. ibidem.
(2) Act. Apost. cap. 19. v. 19.

Christi Ecclesiam VIII. potissimum, & IX sæculo maximè pertubarunt, ætate fere æquales. Joannes enim Damascenus sæculo VIII., Photius autem & Petrus Siculus IX. sæculo floruerunt. Et Petrus quidem Siculus, quem latinitate cum adnotationibus donavit ex MS. Codice Bibliothecæ Vaticanæ Matthæus Raderus S. J., & extat tom. 14. Biblioth. PP. edit. Paris. in sua de vana, & stolida Manichæorum hæresi historia, Bulgarorum Archiepiscopo inscripta, a Basilio, Leone, & Constantino ad Paulicianos Tibricam Armeniæ oppidum obtinentes de redimendis captivis Ducibus se delegatum narrat, quo in Oppido, universa Paulicianorum mysteria se cognovisse affirmat (1) *Tibricæ*, inquit, *legationis obeundæ causa apud Paulicianos diu moratus, sæpe disputando cum illis sum congressus, illorumque arcana omnia per Catholicos etiam ibi degentes curiosè investigavi*. Ad calcem vero suæ de Paulicianis historiæ hæc Petrus Siculus habet (2). *Ego Tibricæ novem menses versatus ea, quæ supra a nobis commemorata sunt, accurate perscrutatus, curiosèque percunctatus, jussisque sanctissimi piorum & orthodoxorum principum, quamvis indignus & ultimus obsecutus, omnibus palam facere enixè contendi*. Photius vero a v. c. Montfauconio ex græco codice Bibliothecæ Coislinianæ, olim Segeurianæ Parisiis an. 1715. latine editus a III. sæculo usque ad IX., quod Paulicianorum sæculum est, compendiariam Manichæorum cum veterum, tum novorum, idest Paulicianorum historiam perduxit; & quidem Paulicianorum ab ætatis suæ locupletissimis testibus, certissimisque nuntiis, veterum vero Manichæorum a Cyrillo Hierosolymitano, ab Epiphanio, aliisque Scriptoribus, quos ipse commemorat, mutuatam (3). *Siqui autem velint*, de veteribus Manichæis inquit, *a principio eorum impietatem, &* un-

Petrus Siculus testis de visu, & auditu, hæresis Paulicianorum scriptor certissimus.

Photius veterum novorumque Manichæorū, idest, Paulicianorum historiam, ex certissimis monumentis erutam, posteritati mandavit.

L

(1) Petrus Sic. histor. de vana, & stolid. Manich. hæres. pag. 814. (2) Idem pag. 825. (3) Phot. Histor. Manich. pag. 354. apud Montfaucon. in Biblioth. Coislin.

unde priora femianjecta fuerint, conspicere, Cyrillus, cui sacræ urbis (Hierosolymæ) *gubernacula tradita fuere, ipsis historiæ Dux erit; nec non mirabilis magnus Epiphanius, itemque non pauci eorum, qui historias Ecclesiasticas adornarunt. Titus quoque Bostrenorum Episcopus, & Serapion Thmuitanus, Alexander etiam, qui Lycopoleos Archiepiscopatum tenuit. Præter hos autem is, qui de iis omnibus fortiter triumphavit, & hanc de qua agitur, impetutem confutavit, Heraclianus Chalcedonis Episcopus, qui viginti libris certamina contra eorum apostasiam instituit.* Præclarissimus autem est S. Jo. Damasceni adversus Manichæos dialogus, de quo quidem dubitat ejus interpres Jacobus Billius; sed opus illud jure, meritoque Damasceno attribuit, atque invictissime vindicat v. c. P. Lequien postremus Damasceni editor, & illustrator. docetque, admonitione operi adjuncta, dialogum hunc Damascenum contra Manichæos scripsisse, quando sub Paulicianorum nomine in partibus Syriæ, Leone Isauro imperante, propagari, & corroborari cœperant Manichæi.

Paulicianorum nomen unde ad Manichæos Armenos defluxerit.

XLIX. Quod ad Paulicianorum originem pertinet a Paulo quodam Samosateno, cujus Patria Samosata Syriæ Euphratææ, non eo quidem Episcopo Samosateno, a quo Paulianistæ sæculi III., ad Manichæos Paulicianorum nomen pervenit, quod is ex Syria in Armeniam Manichæorum hæresim sæculo VII. vel primus intulerit, vel progaverit. Paulicianorum ab hoc Paulo originem Photius his verbis narrat (1). *Samosata urbs est Syriæ, ubi olim Manichæorum doctrina Deo perosa floruit. Ibi erat mulier quædam nomine Callinice, quæ totum hujus hæresis cœnum in se collegerat. Hæc duo peperit filios, alium Paulum, alium Joannem appellarunt. Hi non minus detestandæ hæresis, quam ateri proles defectionis viras sine ullo temperamento acceperunt. Illos vero utpote impietate præstantes, qui tum* (in Syria) *detestan-*

(1) Phot. Histor. Manich. edit. Montfaucon. in Biblioth. Coislin. pag. 349.

testanda sectæ præfecti & mystagogi erant in regionem Armeniacorum, ut nunc vocant, ad prædicandam impietatem miserunt. Ex prædictarum igitur altera, cui nomen Paulus Pauliciani appellati sunt. Alii vero Manichæi Armeni Paulicianorum nomen sibi se tribuisse dicebant ab alio quodam posteriore Paulo, non Samosateno illo Callinices filio, de quo supra, sed Armeno, Gegnesii & Theodori patre, an. 685., Justiniano II. Constantini filio imperante. De quo Paulo Armeno hæc Photius posteritati mandavit(1). *Paulus quidam Armenius genere, cui duo filii erant, Gegnesius & Theodorus, supplicio* (ignis) *quod toti apostatarum cætui destinatum* (a Justiniano) *fuerat, se fugâ subducens, in Vicum supra memoratum Episparin nomine receptum habuit, ubi impietatem disseminare conabatur. Ab hoc autem Paulo pars defectionis non minima, & detestanda Manichæorum natio putat se denominationem accepisse potius quam ex Callinices filio.* Quamquam siquis contendat Manichæos Armenos propterea se Paulicianos nominasse, quòd Pauli Apostoli se discipulos esse prædicarent, ut nostra ætate Augustini discipulos, & Augustinenses etsi temere jactitant se Jansenìani, non repugnabo. Etenim Photio & Petro Siculo testibus (2), primarii Manichææ hæresis per Armeniam propagatores, non imitatione tantum, sed singulari uniuscujusque personæ proprietate se Pauli discipulos ad vitam iterum revocatos, & a Paulo Apostolo missos, per summam non temeritatem dixerim, sed insaniam venditabant. Itaque Constantinus Silvanum se Pauli discipulum è cineribus excitatum, Simeon Titum, Genesius Timotheum, ad quos sunt Pauli epistolæ, Josephus Epaphroditum, Sergius Tithycum se de cœlo advenisse affirmabant. His adde Justum, Zachariam, Bananem, ex quo Babanitæ, ut ex Sergio Sergiotæ sunt appellati, quos inter magnæ de primatu discordiæ pugnæ, & dissidia. Sergio successerunt

Pauliciani redivivos Pauli discipulos, adscitis eorum nominibus, insane se venditant.

L 2

(1) Phot. pag. 361. ibidem. (2) Idem ibidem pag. 350. Item Petr. Sic. de vana, & stolid. Manich. heres. pag. 819.

ferunt discipuli Michael, Canacares, Joannes, Theodotus, Basilius, Zosimus, qui comperegrini dicebantur, omnesque summo studio & consensu Armeniam Manichæa peste corruperunt. Sed quoniam Sergii mentionem fecimus, non erit abs re declarare, qua ratione lectio, & interpretatio Sacræ Scripturæ, quæ VII. jamdudum sæculo de vulgo, & plebe christianis interdicta erat, in Manichæam hæresim Sergium detruserit. Rem factam verbis his narrat Photius (1). *Celebris Sergius Manichæus, cum adhuc puer esset, a femina Manichæa depravatus est, quæ Sergio Evangelia legenda obtulit. Cum vero Sergius lectionem Evangeliorum non ad Laicos, sed ad Sacerdotes pertinere dixisset, mulier Vaferrima, Hoc est artificium*, inquit, *Sacerdotum christianorum, ne Laici simplices in cognitionem veniant divinarum rerum. Tum callida Manichæa interpretatur loca plura Evangelii secundum hæresim Manichæorum, & Sergium seducit*. Audiant hæc Janseniani, qui Novum præsertim Testamentum non modo vernacula linguâ editum, sed malitiosa etiam conversione corruptum, cujuscumque ordinis, & conditionis christianis, feminis, pueris, illiteratis, rudibus, imperitis legendum esse præscribunt.

Sergius adolescens, interdicta sibi sacræ Scripturæ lectione, & interpretatione fit Manichæus.

L. Quod autem ad Paulicianorum doctrinam attinet, hæc eadem omnino erat ac universa hæresis Manichæorum, cui tamen Pauliciani novos de suo errores addiderunt, quibus impietate nova veterem Manichæorum impietatem cumularunt. Petrus Siculus, qui cum Paulicianis Armenis non parum versatus est, id testatum nobis reliquit, de quibus hæc literis commendavit (2). *Iidem sunt, nec quicquam divertunt a Manichæis Pauliciani, qui hasce recens a se procusas hæreses afferunt. Qui tametsi a Manichæorum impuritatibus se alienos dictitant, sunt tamen dogmatum ipsorum vigilantissimi custodes, & pro-*

Paulicianorum hæresis eadem omnino, ac veterum Manichæorum.

Pauliciani alienos se ab impuritatibus Manichæorum veterum jactitant.

(1) Phot. Histor. Manich. edit. Montfaucon in Biblioth. Coislin. a pag. 365. ad pag. 372. (2) Petr. Sic. Histor. de vana, & stolid. Manich. hæres. pag. 854.

propugnatores. Profecto de duobus adversis principiis æternis, ingenitis; de Deo bono, a quo omnia bona; & de Deo malo, a quo mala omnia, qui sunt duo cardines, quibus universa vertitur Manichæorum hæresis, Pauliciani novi cum veteribus Manichæis conveniebant omnino, de quibus Petrus Siculus (1). *Primum*, inquit, *illorum axioma est, duo rerum esse principia, Deum malum, & Deum bonum, aliumque hujus mundi conditorem ac Principem, aliumque futuri ævi*. Eadem omnino de Paulicianis narrat Photius, cujus hæc verba sunt (2). *Duo quidem principia, quemadmodum & Manichæi, confitentur esse; ajuntque alium esse Deum Patrem, quem ab Universi hujus potestate eliminant, ac futuri tantum sæculi imperium ipsi tradunt: alium vero Creatorem mundi, cui præsentis sæculi imperium largiuntur*. S. vero Jo. Damascenus in præclarissimo suo contra Manichæos dialogo Paulicianum Syrum, quocum disceptando confligit, sic loquentem inducit (3). *Duo dico rerum principia, unum bonum, alterum malum. Ac bonum quidem arborem bonam appella, quæ bonum omne contineat & efficiat, nec fructum malum edere queat: malum autem, tenebrat, corruptionem, arborem malam, quæ malum omne, vitiique genus omne faciat, nec fructum bonum ferre possit*. Ex duobus his contrariis principiis, simul permistis atque confusis constare hominem Pauliciani affirmabant, ut apud Damascenum his loquitur verbis Paulicianus (4). *Boni, malique commistio contigit. Nam ex portione boni, animæ; & ex mali substantia corpora prodierunt*. Et iterum alio loco. *Deus, & materia duo principia erant, ac lucis quidem portio anima est, tenebrarum autem & materiæ opus, corpus. Porro commistio adhunc modum contigit*. Narrat hic Paulicianus homo longam anilemque Manichæorum fabulam

Pauliciani, ut Manichæi veteres, duo constituunt æterna principia, bonum unum bonorum omnium; malum alterum malorum omnium causam.

Pauliciani, ut Manichæi veteres, ex commistione boni, malique principii, omnia corpora, produsse docent.

Pauliciani, ut Manichæi veteres, universam fabulam Manichæam tradunt.

(1) Pet. Sic. ibidem pag. 817. (2) Phot. Histor. Manich. apud Montfaucon Biblioth. Coislin. pag. 351. (3) Jo. Damasc. Dial. contra Manich. num. 2. pag 430. tom. 1. edit. Lequien.
(4) Idem omnino ibidem.

Iam de commiſtione boni, malique principii, ex qua homines prodierunt: mox iterum inculeat atque concludit (1). *Ex boni portione animæ, & ex mali ſubſtantia corpora producta ſunt*. Cum autem ſtatuiſſent Pauliciani ex principio bono non niſi fructus bonos, & ex principio malo non niſi fructus malos procreari poſſe, hinc bonas actiones hominis ex principio bono; contra vero hominis actiones malas ex principio malo, inevitabili naturæ neceſſitate prodire affirmabant. Poſitis autem contrariis principiis hujuſmodi neceſſitantibus, liberum arbitrium hominis funditus evertebant.

Pauliciani, ut Manichæi veteres, liberum arbitrium hominis negant.

LI. Reliquum eſt, ut pauca quædam de Paulicianorum vita, moribus, & conſuetudine percurramus, quibus Pauliciani veros, germanoſque Manichæos ſe prodiderunt. Et quamvis pietatis, ſanctitatiſque venditatio, ſeverioriſque doctrinæ ac diſciplinæ oſtentatio omnium hæreticorum, omniumque temporum inſignis admodum nota ſit, in veteribus tamen, noviſque Manichæis, quales Pauliciani fuerunt, multo ſplendidius ſe dignoſcendam exhibuit. Paulicianorum quidem mos erat in ſuis cum catholicis congreſſionibus ſingularem quamdam, & admirabilem ſanctitatem præſeferre, catholicos ſe prædicare, catholicæque doctrinæ probatores cultoreſque mirificos profiteri (2). *Illi impuri*, de Paulicianis Petrus Siculus inquit, *quando primum cum aliquo in diſputationis certamen deſcendunt, quamdam præſeferentes morum Sanctimoniam, omnia catholicorum dogmata per aſtum comprobant*. Eouſque ſacrilega Paulicianorum ſimulatio pervenit, ut, quemadmodum Manichæi veteres, ad baptiſmi fontem, & ad Euchariſticam menſam cum chriſtiano populo accederent, ſeque Cruce ſignarent, quamvis baptiſmum, & Crucem repudiarent, nec talia ſalutem ullam conferre animæ arbitrarentur: in pane autem

Pauliciani, ut Manichæi veteres, vitam doctrinamque chriſtianam, morumque ſeveritatem fictè, & fallacites ſimulant.

(1) Jo. Damaſc. ibidem n. 28. pag. 441. (2) Petr. Sic. de vana & ſtolid. Manich. hæreſ. pag 815.

autem & vino Eucharistico nihil omnino divini continere docerent. Hæc enim a Photio de Paulicianis accepimus, cujus hæc verba sunt (1). *Etiamsi salutarem baptismum respuant, se tamen ipsum admittere simulant, futiliter arbitrantes, Crucem, & Baptismum corpori prodesse; sed eorum vim, & operationem, nec ad animæ mundationem, nec ad aliam quampiam ejus utilitatem conferre arbitrantur. Sæpe ex illis non pauci in venerandi corporis, & sanguinis Christi Dei Nostri communione sunt; sed ut simpliciores circumveniant tantum, illis participant.* At vero fictam, falsamque sanctitatis, pietatis, severitatisque speciem præleferentes, quod est hypocritarum omnium, maximè vero Hæreticorum, molliter, delicatéque vivebant, ebrietatibus demergebantur, diffluebant luxuria, in omnium libidinum luto, adversante etiam & repugnante natura, volutabantur, totamque vitam sordidis corruptelis inquinatissimam traducebant (2). *Eorum vitæ genus*, inquit Photius, *libidine plenum est, plenum item nefandis impuritatibus ac fœditatibus, quæ in mentem non cadunt: nam utriusque naturæ commistionibus nullam non inenarrabilem obscenitatem sine pudore admittentes: tantummodo dicitur nonnullos eorum a coitu cum matre abstinere. Ebrietati autem & luxui per totam vitam se dedunt, omnemque aliam morum corruptelam sectantur.* Postremo ad nequitiæ cumulum præstigiis, cantionibus magicis, veneficiis, dæmonum evocationibus, Paulicianos, maxime vero Sergii discipulos nefariam dedisse operam narrat Photius (3). *Sergius*, inquit, *discipulis reliquit apostasiæ improbitatisque suæ, qui in mysticis maleficiis suis, atque præstigiis primas tenebant.* Ne autem in commune omnium odium, & universalem indignationem Pauliciani, veri germanique Manichæorum successores, incurrerent, summa diligentia & industria clan-

Pauliciani, ut Manichæi veteres fœdissimarum libidinum sordibus inquinatissimi.

Pauliciani, ut Manichæi veteres, in clandestinis mysteriis suis, maleficiis, præstigiisque operam dabant.

(1) Phot. histor. Manich. edit. Montfaucon in Biblioth. Coislin. pag. 353. (2) Idem ibidem pag. 354. (3) Idem ibidem pag. 373.

clandestino cultu, altoque silentio impiis obscænisque institutionibus, ritibusque suis operam dabant (1). *Manichæorum*, inquit Petrus Siculus, *fuliginosa, cænosaque, spurcissimaque secta, ab orbe toto propter curationis desperationem summamque impudentiam exagitata, ab ipsismet hæreticis alto silentio colitur, & observatur.* Nefaria vero mysteria sua, arcanamque doctrinam non modo sociis suis peregrinis, sed familiaribus etiam suis occultabant: nec ea nisi paucis quibusdam, iisque, qui in Manichæa impietate plurimum profecissent, communicabant (2). *Id maxime student*, de Paulicianis Petrus Siculus inquit, *ne sacra sua, & hæreses passim omnibus, etiam suis, non dico peregrinis, sed familiaribus enuntient. Cum paucis illa tantum, & quos in impietate plus ceteris sciunt promovisse, communicant*: Qui plura de Paulicianis, eorumque propagationibus, de conditis ab eis oppidis, de civilibus, bellicisque rebus ab eis gestis, de eorum Principibus, Ducibus, excursionibus, pugnis, cædibus, suppliciis desiderat, præter supra commemoratos Photium, & Petrum Siculum, consulat Zonaram, Cedrenum, Euthymium in Panoplia, aliosque rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Nobis satis est demonstrasse Paulicianos Manichæorum Successores fuisse, præsertim vero in capitalissimo illorum errore de duplici principio contrario necessitante: quo posito, liberum arbitrium hominis & evertebant funditus, & evellebant radicitus.

Pauliciani, ut Manichæi veteres nefariam doctrinam suam, & exsecranda mysteria cautissime occultabant.

Pauliciani, ut Manichæi veteres, duo docebant principia necessitantia, quibus liberum arbitrium hominis funditus evertebant.

CAPUT XII.

De Albigensibus Manichæorum successoribus.

Pauliciani ab Albigesio in Gallia Albigenses, aliisque locis, aliis nominibus appellati.

LII. PAuliciani, qui & Manichæi, a puritate morum quam impuri jactabant, Cathari; ab Alba vero Augusta, vel ab Albigesio Albigenses in

(1) Petr. Sic. ibidem pag. 816. (2) Idem omnino ibidem.

in Gallia; Paterini autem in Italia a patientia fortasse, vel potius duritia, quam ostentabant, alisque locis nominibus aliis appellati sunt. Nominibus pluribus hos significatos indicat Concilium Lateranense III. (1). *In Guasconia, Albigesio, & partibus Tolosanis*, inquit, *& aliis locis, haereticorum, quos alii Catharos, alii Patrinos, seu Paterenos, alii Publicanos*, (fortasse Populicanos) *alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas*. Jamdudum, a sæculo scilicet IX. cogitaverant Pauliciani, Petro Siculo teste, ex Armenia in Bulgariam irrumpere (2). *Ab ipsismet impiis, & delirantibus cognovi*, de Armeniis Paulicianis inquit, *quod e suo conciliabulo missuri essent, qui in Bulgaria quoscumque possent a catholica religione ad suam execratam, & nefariam sectam averterent*. Ex Syria autem sæculo VIII., Constantino Copronymo Manichæorum Patrono, in Bulgariam, & Thraciam Manichæos penetrasse auctor est (3) v. c. P. Lequien. Ex Bulgaria autem, & proxima etiam Thracia, Paulicianorum, seu Manichæorum errores in Galliam hac pervenisse via, atque occasione tradit Petrus de Marca (4). Cum enim Franci exeunte sæculo XI. Hierosolyma potiti essent, & negotiandi causa cum frequentem cum Bulgaris consuetudinem haberent, Bulgarorum hauserunt errores, quos in Galliam deportarunt, & ineunte sæculo XII. Tolosates, Aquitanos, & Aurelianenses Manichæa peste infecerunt. Itaque cum ex Bulgaria in Galliam Paulicianorum, seu Manichæorum errores advenissent, hinc factum est, ut Cathari, seu Albigenses Bulgari vulgo, & communiter appellati sint. De Philippo Augusto, qui exeunte XII. sæculo regnavit in Gallia, hæc Altisiodorensis Monachus posteritati mandavit (5). *Haereticos quos Bulgaros vocant vehementer studiosi inse-*

Pauliciani Sæculo IX. ex Armenia in Bulgariam irrumpere cogitarunt.

Pauliciani, qui & Manichæi, sæculo VIII. ex Syria in Bulgariam, & Thraciam sub Constantino Copronymo se contulerunt.

Paulicianorum, seu Manichæorum hæresis ex Bulgaria in Galliam a Francis mercatoribus ineunte sæculo XII. invecta est: hinc Albigenses hæretici Bulgari vulgo appellati.

M

(1) Concil. Lateran. III. an. 1179. sub Alexandro III. can. 27. (2) Petr. Sic. de vana & stol. Manich. hæres. pag. 814.
(3) P. Lequien. admonit. in Dial. Damasc. contra Manich.
(4) Petr. de Marca in Histor. Bearnien. pag. 3. edit. Rader.
(4) Robert. Monach. Altisiodoren. in chronolog. ad an. 1180.

insectari. De Bulgarorum autem hæresi, quæ ætate Philippi Augusti per Galliam maxime grassabatur, hæc habet: *Per idem tempus Bulgarorum hæresis exsecranda, errorum omnium fæx extrema, multis serpebat in locis, tanto nocentius, quanto latentius. Sed involuerat maxime in terra comitis Tolosani, & Principum vicinorum*. Cum igitur Bulgarorum hæresis eadem esset ac hæresis Manichæorum; Albigensium autem errores iidem essent ac Bulgarorum, qui idcirco Bulgari appellabantur, ex eo jam deducitur Albigensium hæresim eamdem fuisse ac hæresim Manichæorum; eosdem geminos fœtus atque hereditarios fuisse Manichæorum veterum successores. Communis admodum est hæc sententia, quam tuentur præ ceteris VV. CC. Bossuetius tom. 2. histor. variat. lib. XI. pag. 124. & sequentibus. RR. S. P. A. M. P. Richinius dissert. 1. de Cathar. cap. 1. num. 1. pag. 13. P. Petrus Lazerius S. J. Exercit. de Hæres. Albigen. cap. 1. pag. 2.

Albigensium, seu Bulgarorum, & Catharorum hæresis eadem ac hæresis Paulicianorum, seu Manichæorum.

LIII. Ex summa autem convenientia & consensione doctrinæ facile est demonstrare, Albigenses, seu Catharos se veros germanosque Manichæos prodidisse. Etenim, V. Moneta teste, Catharorum ætate æquali, cujus egregium contra Catharos opus, christianæ reipublicæ bono, RR. P. Thomas Augustinus Richinius S. P. A. M. e diuturnis tenebris in lucem optatam edidit, & eruditissimis dissertationibus, doctissimisque adnotationibus illustravit, V. inquam Moneta teste, Albigenses, quemadmodum & Manichæi, duos docuisse contrarios Deos, & duo contraria principia, bonum unum, a quo bona omnia; malum alterum, a quo omnia mala, res est perspicua, atque explorata. Hæc enim apud Monetam Albigensium doctrina erat (1): *Duos esse Deos: unum principium, & causam invisibilium nobis, & omnium bonorum: alterum vero principium, & causam omnium visibilium nobis hic, & omnium malorum*

Albigenses, ut Manichæi veteres, duos Deos, bonum unum, bonorum omnium, & malum alterum omnium malorum causam docebant.

(1) Monet. advers. Cathar. lib. 1. cap. 1. §. 1. pag. 5. edit. Richin.

lorum. Capitalissimum hunc errorem, quo universa vertitur hæresis Manichæa, divinæ auctoritatis abusu propugnare Albigenses non verebantur; de quibus commemoratus supra Scriptor egregius (1), *Ad probandum*, inquit, *suum nefandissimum errorem: scilicet, duos esse Deos; Unum, principium & causam visibilium nobis, & omnium bonorum: alterum vero, principium & causam visibilium nobis hic & omnium malorum, inducunt illud Ecclesi. 42. 25.* Omnia duplicia, unum contra unum. *Si omnia ergo duplicia, ergo duo Dii, duo regna, duæ curiæ, duæ creationes, una visibilium, alia invisibilium, & sic de aliis.* Accedunt eòdem aliorum testimonia Scriptorum, quanquam in re non dubia utor fortasse testibus non necessariis (2). *Quidam Hæresiarchæ*, Cæsarius de Albigensibus, *collegerunt puncta ex dogmate Manichæi .... Duo credunt cum Manichæo principia, Deum bonum, & malum Deum, idest, diabolum, quem dicunt omnia creare corpora; sicut Deum bonum, animas.* Item Petrus Monachus Cœnobii Vallium Cernai, alter Albigensium historiæ antiquissimus Scriptor (3), *Primo sciendum*, de Albigensibus inquit, *quod hæretici duos constituebant creatores, invisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum, & visibilium, quem malignum Deum nuncupabant.* Sed ad Monetam me refero. Ex duplici illo contrario principio Albigenses, ut Manichæi veteres, nullum esse in homine arbitrium liberum contendebant. Si enim duo contraria principia sunt, bonorum unum, alterum omnium malorum causa, fieri non potest ut ab uno eodemque arbitrio libero bonum & malum proficiscatur. Sed audiatur Moneta, ubi hanc sibi pertractandam contra Albigenses proponit materiam, *De libero arbitrio, & unde hæretici ipsum conantur destruere.* Ad hanc au-

Albigenses, ut Manichæi veteres, liberum arbitrium hominis, ad bonum, & malum negabant.

M 2

(1) V Monet omnino ibidem. (2) Cæsar. distin. v. cap. 21. Biblioth. Cisterc. Tessier. tom. 2. pag. 138. (3) Petr. Vallicera. histor. Albig. cap. 2.

autem quæstionem (1), *Prius videamus*, inquit, *quare moti sint ad hoc negandum. Hujus rei causa una est, quia si populus Dei haberet liberum arbitrium ad utrumque, scilicet ad bonum & ad malum, ab eodem fonte, & ab eadem natura esset bonum & malum; sic ergo non esset necesse ponere duos Deos, quorum unus esset principium omnis boni, alius esset principium omnis mali.*

Albigenses, ut Manichæi veteres, Testamentum vetus Deo malo, Novum Deo bono tribuebant.

LIV. Præterea, ut Manichæi veteres, sic Albigenses, qui & Cathari, Testamentum vetus Deo malo tribuebant (2). *Hæretici, qui Cathari vocantur*, inquit, Moneta, *Deum veteris Testamenti datorem reprobare nituntur*. Et iterum alio loco (3). *Sic objiciunt*, inquit, *hæretici, volentes per mendacium ostendere, quod Deus veteris Testamenti fuerit malus*. Petrus vero Vallicernensis Albigensium rerum historicus accuratissimus hæc de ætatis suæ Albigensibus litteris commendavit (4): *Novum Testamentum benigno Deo: vetus vero maligno tribuebant.* De Christo autem Domino, ac de Beata Virgine Maria in eodem errore erant, in quo veteres Manichæi (5). *Dicunt*, Moneta teste, *quod Christus non habuit verè corpus humanum, sed phantasticum, idest, quod apparebat nostræ naturæ: & ex hoc oportet eos dicere, quod non fuit vere homo, idest, ejusdem speciei nobiscum.* Inter ceteros vero errores, de quibus in Concilio Aurelianensi Albigenses, tanquam Manichæi novi, accusati sunt, etiam error hic numeratur (6): *Christum de Virgine Maria non esse natum, nec vere passum, mortuum, sepultum*. Christianum vero baptismum, non secus ac Manichæi veteres, rejiciebant. De baptismo ab Albigensibus repudiato hæc habet Moneta (7): *Cui Vene-*

Albigenses, ut Manichæi veteres, Christum Dominum de Maria Virgine natum, ejusque verum corpus negabant.

Albigenses, ut Manichæi veteres, christianum baptismum rejiciebant.

(1) Monet. adversus Cathar. lib.1. cap.5. §. 1. pag.63.
(2) Idem ibidem lib.2. cap 6. pag.143.
(3) Idem ibidem pag.163. (4) Petr. Villicernen. Histor. Albigen. cap 2. (5) Monet. advers. Cathar. lib.3. cap.3. §.2. pag.247. (6) Act. Conc. Aurelian. an.1022. tom.2. Spicileg. Dacher. (7) Monet. advers. Cathar. lib.4. cap.7. §.1. pag.277.

Venerabili Sacramento (baptismi) *Hæreticus nequiter contradicens*, *ait*, *Quod nihil homini conferat ad salutem*. *Dicit enim quod nec peccatorum remissio*, *nec Spiritus Sancti gratia in eo conferatur*. Petrus vero Vallicernensis hæc de ætatis suæ Albigensibus tradit (1): *Sacramenta Ecclesiæ adeo annullabant*, *ut sacri baptismatis undam ab aqua fluviali non distare publice dogmatizarent*. De Matrimonio consentiebant veteribus Manichæis Albigenses. Audiatur Moneta (2): *Nunc videndum est*, inquit, *de Matrimonio*, *quod est legitima conjunctio maris*, *& feminæ*, *individuam vitæ consuetudinem retinens*. *Ipsi autem hæretici consuetudinem istam illegitimam dicunt*, *idest*, *contra Dei legem*: *quorum error ex cænoso fonte derivatus est*, *quia credunt corpus maris & feminæ a diabolo fuisse factum*, *& membrorum pudendorum distinctionem*, *unde omnem carnalem concubitum damnabilem dicunt*. Postremo Metempsychosim, id est, animarum de corpore in corpus translationem, quæ Pythagoram habuit auctorem Albigenses cum veteribus Manichæis docuerunt. Hæc enim de Albigensibus, qui & Cathari nominati sunt, tradit Moneta (3): *Ipsi distinguentes inter Animam*, *& Spiritum*, *dicunt*, *Quod Spiritus non vadit de corpore in corpus*, *sed Anima*. *Contra se igitur loquuntur*, *cum dicunt*, *quod Spiritus*, *qui in illa* (Eliæ) *corpore fuerat*, *postea fuerit in corpore Joannis Baptistæ*. Præterea inter anathematismos, qui Albigensibus ad Ecclesiam venientibus pronuntiandi præscribebantur, hic etiam legitur apud Tollium (4). Anathematizo eos, qui Metempsychosim admittunt.

Albigenses, ut Manichæi veteres, matrimonium exsecrabantur.

Albigenses, ut Manichæi veteres, Pythagoreorum Metempsychosim docebant.

LV. Quod ad Catharorum, idest, Albigensium vitam, mores, & disciplinam pertinet, hæc illis paria, & communia, non secus atque errores, cum veteribus Manichæis fuerunt. Etenim neglecto

(1) Petr. Vallicernen. hist. Albigen. cap. 3. tom. 7.
(2) Monet. advers. Cathar. lib. 4. cap. 7. §. 1. pag. 315.
(3) Idem ibidem lib. 3. cap. 1. §. 3. pag. 231.
(4) Apud Tollium pag. 138.

Albigenses, & Manichæi veteres, emortualem Manichæi diem neglecto die Paschæ, apparatu magnifico celebrabant.

cto die festo Paschæ, emortualem Manichæi diem solemni ritu, eo fere tempore, quemadmodum Manichæi veteres, celebrabant. Talia de Catharis Coloniensibus Eckbertus narrat (1): *Christianis*, inquit, *Pascha celebrantibus, vel negligenter hoc celebrant, si inter ipsos sunt, vel occasiones quærunt discedendi de medio eorum, quibus cohabitant, ne cum eis solemnizare cogantur. Celebrant autem pro eo quoddam aliud festum, in quo occisus est hæresiarcha eorum Manichæus, cujus procul dubio hæresim sectantur.* Continentia autem a cibis, quos natura malos putabant, non parum Manichæos veteres imitabantur. Hinc sponsio illa, quam a novis discipulis in gregem suum recipiendis exigebant, de qua Reinerius apud Martene (2). *Promittis quod de cetero non comedes carnes, nec ova, nec caseum, nec aliquum victurum, nisi de aqua, & ligno? Et pro aqua intelligunt pisces, & pro ligno oleum.* Effrænatissimam autem Albigensium in omne flagitium, adversante etiam & repugnante natura, libidinem, non secus ac Manichæorum veterum, his verbis declarat Lucas Tudensis (3). *Efferuntur effrænes per varia desideria carnis, & nulla eis est delectatio, quam non pertransent eorum luxuria. Abutitur filius matre, frater fratre, & pater in filia turpitudinem operatur.* Quod autem impium maximè, & sacrilegum est, ad exemplum veterum Manichæorum, effusissimam in omnem voluptatem libidinem præstigiis exsecrandis, & dæmonum evocationibus, & obsecrationibus cumulabant. Testis locupletissimus est Arefastus, vir in primis clarus, & nobilis, qui de Catharis, seu Albigensibus ætatis suæ in Concilio Aurelianensi inter flagitia cetera, hæc ab eis proximè factitata apud Patres amplissimos narrat (4). *Nocturnos agebant conventus,*

Albigenses abstinebant cibis a quibus veteres Manichæi.

Albigensium libido, ut Manichæorum veterum, effrænatissima.

Albigenses, ut veteres Manichæi, præstigiis, & Dæmonum cultui, & familiaritati addicti.

(1) Eckbert. Serm. 1. de Cathar. Colonien.
(2) Edmund. Marten. in Thesaur. Anecdot. ad calcem lib. Rainer.
(3) Luc. Tuden. lib. 3. advers. Albig. cap 5.
(4) Act. Concil. Aurelian. an. 1137. tom. 1. Spicileg. Dascher.

tus, in quibus singuli lucernas tenentes nomina Dæmonum instar Litaniæ recitabant, donec Dæmon sub forma cujusdam bestiolæ eis apparebat: Quo conspecto, extinctis lucernis promiscuam libidinem exercebant, nulla consanguinitatis, aut voti habita ratione. Matrem aliam, aut sororem, aut sanctimonialem, ut primum occurrebat, constuprantes. Ex fœdo concubitu natus infans octava die comburebatur, ejusque cineres diligentissimè collectos tanta religione servabant, quanta Corpus Christi dandum fidelibus jam jam morituris asservat Ecclesia: ex quibus, qui vel tantillum prælibaverant, ita abfirmabantur in hæresi, ut ex ipsa nunquam, aut vix emergere possent.

CAPUT XIII.

De Prædestinatianis Manichæorum successoribus.

LVI. DE Prædestinatianis antiquioribus v. vi. & ix. Sæculi satis copiosè, ut arbitror, & nervose scripsimus in Præfatione ad partem sextam, & ultimam Augustinianæ Summæ; quædam modo percurrenda sunt, quatenus ad rem supra propositam pertinent, de Prædestinatianis xii, & xiii. Sæculi. Tali enim ætate fuisse Prædestinatianos non paucos ex v. Moneta accepimus, cujus hæc verba sunt (1). *Sequitur decimumquintum caput, ubi videndum est de Prædestinatione, de qua quidam malè sentiunt, credentes quod quidam homines creati sunt, qui ex necessitate salvabuntur, quidam vero ex necessitate damnabuntur; unde non credunt, quod ex Dei intentione vita æterna communis sit omnibus, nec quod omnes salvare proposuerit.* In hac sententia fuisse Catharos, seu novos Manichæos Albigenses vir eruditissimus P. Ricchinius ad hunc Monetæ locum affirmat (2); eamque sententiam ab antiquis Gnosticis, Manichæis, Valentinianis, & Ba-

Albigenses xii. & xiii. sæculi, non secus ac veteres sæculo v. vi., & ix., prædestinatiani verè fuerunt.

(1) Monet. lib. 5. advers. Cathar. & Valden. cap. 15. pag. 549.
(2) P. Ricchin. not. 1. in cap. 15. lib. 5. Monet.

Prædestinatianorum error finitimus errori Manichæorum.

& Basilidianis ad Catharos defluxisse docet. Finitimus enim est Prædestinatianorum error Manichæorum errori. Si enim, ut Manichæi delirabant, duo sunt contraria principia necessitantia, ad bonum unum, ad malum alterum, quibus homines subjacent, hisque positis, nullus relinquitur locus libero humanæ voluntatis arbitrio, Cathari, qui hæc cum Manichæis sentiebant, non modo facili, sed lubrica etiam & præcipiti via in Prædestinatianam voraginem ceciderunt. Sed ne hæreamus in voce, quoniam de reipsa nobis tota controversia est: Prædestinatianos cum Moneta illos affirmo:

Prædestinatianorum errores de Deo nolente salvare nisi solos prædestinatos; de Christi Domini morte pro solis prædestinatis; de prædestinatione, & reprobatione necessitante; de sublato arbitrio libero prædestinatis, & reprobis.

I. qui docent, Nolle Deum voluntate seria, & sincera alios homines salvos fieri, nisi solos Prædestinatos: II. qui docent, Non pro aliis hominibus Christum Dominum mortuum esse, nisi pro solis Prædestinatis: III. qui docent, Prædestinationem antecedentem inferre salutis necessitatem Prædestinatis omnibus, qui salvi fiunt; reprobationem autem antecedentem inferre perditionis necessitatem omnibus, qui pereunt, reprobis: IV. qui docent, Nullum Prædestinatis ad consequendam salutem, nullum reprobis ad evitandam damnationem manere suæ voluntatis arbitrium, ab utraque antecedenti, & insuperabili necessitate liberum. Tales fuisse Catharos Manichæorum successores, contra quos Venerabilis Moneta scripsit, si non omnes, non paucos tamen, ex Moneta eodem demonstro.

LVII. Et primo quidem Catharos, seu Albigenses, Manichæorum veterum successores, cum veteribus Prædestinatianis docuisse, Nolle Deum voluntate seria, & sincera alios homines salvos fieri, nisi solos Prædestinatos, his apertissimis verbis Moneta de Prædestinatianis Catharis agens affirmat (1): *Non credunt*, inquit, *quod ex Dei intentione vita æterna communis sit omnibus, nec quod omnes salvare proposuerit*. Etenim seriam sinceramque

Albigenses, ut veteres prædestinatiani, docuerunt, Nolle Deum salvare nisi solos Prædestinatos.

(1) Monet. lib. 5. advers. Cathar. & Valden. cap. 15. pag. 549.

ramque Dei voluntatem de salute hominum, ceteris omnibus ab ea exclusis, qui culpa sua pereunt, ad solos prædestinatos contrahebant. Adversus autem hujusmodi Prædestinatianos hæc sunt quæ Moneta docet (1): *Omnes sunt ordinati ad vitam æternam habendam, quantum est ex intentione Dei.* Id autem eo loco confirmat triplici auctoritate divina: primum ex Apostolo 1. Timoth. 2. 4. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Iterum ex Act. Apostol. 10. v. 34. & 35. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus, sed ex omni gente qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Tertio ex Matth. 11. 18. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quibus verbis Deus quantum est de se, & ex parte sua, neminem a salute excludit, omnes ad salutem invitat. Quod autem non omnes homines salvi fiant, id non ex defectu voluntatis divinæ, sed ex resistentia voluntatis humanæ, Moneta teste, consequitur: *Sed divinæ*, inquit, *ordinationi multi resistunt ad malum suum.* Qui autem resistunt, (*Rom.* 13. 2.) ipsi sibi damnationem acquirunt: *Ordinatorum igitur ad vitam æternam, quidam resistunt Dei ordinationi, qua vult omnes homines salvos fieri* · *Alii non resistunt, sed condjuvant.* Præterea explicans verba illa Apostoli 1. Timoth. 4. 10. *Qui est Salvator omnium hominum, maximè fidelium*; hæc habet Moneta (2). *Quod dixit*, omnium hominum, *ad propositum divinæ voluntatis aspexit: quod autem dixit*, maximè fidelium, *illos pronuntiavit, atque distinxit, qui per fidem, atque obedientiam, & per subditam voluntatem redemptionis munus susceperunt.* Itaque, Moneta interprete, Deus omnium hominum Salvator est, & quantum est de se omnes homines, nemine excepto, vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: maximè vero est fidelium

Primus Albigensium Prædestinatianorum error invictissime a V. Moneta impugnatur.

(1) Monet. advers. Cathar. & Valden. §. 1. pag. 553., & 554.
(2) Idem ibidem pag. 550.

lium omnium Salvator, quatenus omnes, & soli fideles dono fidei, obedientiæ, atque docilis voluntatis, & obsequentis, ad baptismi gratiam perveniunt, quę precipuum est redemptionis munus, fructus, & beneficium: quę bona Prędestinationem ad gratiam certissime consequuntur. Postremò ad illam quęstionem, quę aliena non est ab homine Prędestinatiano (1): *Quomodo reprobatio divina stare possit cum eo, quod dicit Apostolus 1.Timoth.2.4. quod Deus*: omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire? Respondet Moneta, *Vult quidem hoc* (Deus) *idest, per eum non remanet, quin omnis homo salvetur, quin veniat ad agnitionem veritatis; & tamen damnat aliquem, & scit illum esse damnandum, sed* EX CULPA SUA. Quibus verbis Moneta significat, non ex antecedenti voluntate illa, qua per Deum non stat, quo minus omnis homo salvetur, & ad agnitionem veritatis perveniat; sed ob pręvisam reprobi hominis culpam, qualis est impœnitentia finalis, sempiternam talis hominis pœnam decernit Deus, voluntate culpam illam a se pręvisam, non antecedente, sed consequente. Itaque, auctore Moneta, reprobatio divina non pugnat, sed optime cum eo cohęret, quod velit Deus, quantum est de se, voluntate vera & sincera, omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quod ętatis suę negasse quosdam, quos, utpote errantes in Prędestinatione, Prędestinatianos dicimus, Moneta testatur.

Reprobatio divina, auctore Moneta, non antecedens, sed consequens prævisam culpam, seu impœnitentiam finalem hominis reprobi.

LVIII. Prędestinatianos fuisse Catharos Manichęorum successores, de quibus agit Moneta, etiam ex eo demonstratur, quod negaverint Christum Dominum pro hominibus omnibus mortuum esse, humanique generis redemptionem ad solos Prędestinatos, nimis exigue, & exiliter pro effusissima charitate Christi, coarctaverint. At vero absurdissimum hunc errorem, ętate sua, idest, Sęculo XIII. ab Ec-

(1) Monet. advers. Cathar. & Valden. §.6. pag.559.

ab Ecclesia Catholica, fidelissima Apostolicę traditionis custode, detestatum fuisse testis locupletissimus narrat Moneta (1): *Quod enim dicunt*, inquit, *Christum non sumpsisse carnem, nec mortuum esse pro omnium salute, hoc catholica detestatur Ecclesia*. Fuit igitur Monetę ętate capitalis alter Prędestinatianus error, eorum scilicet Catharorum, qui docebant, Non pro aliis hominibus Christum Dominum mortuum esse, nisi pro solis prędestinatis. Ad tuendum autem errorem suum producebant, quemadmodum nunc Janseniani, tum illud Matthęi 20. 28. *Filius hominis venit dare animam suam pro multis*; tum illud de Christi Domini Sanguine apud eundem Matth. 26. 8. *Qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum*; tum illud Apost. ad Hæbr. 9. 8. *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata*. Contra vero Moneta Catharis ętatis suę Prędestinatianis opponebat, tanquam molem fluctibus insuperabilem, tum verba illa divina 1. Jo. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed etiam & totius mundi*; tum illa 1. Timoth. 2. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*; tum illa 1. Timoth. 4. 10. *Qui est Salvator omnium, maxime fidelium*; tum illa 2. Corinth. 5. 14. & 15. *Si unus pro omnibus mortuus est; ergo omnes mortui sunt: & pro omnibus mortuus est Christus*. Quibus auctoritatibus in aciem productis, Moneta duce, hoc argumento Prædestinatianum bellum conficitur. Quantum est de sufficientia pretii, quod Patri gratum obtulit Filius, & de Redemptoris benevolentia, consentanea benevolæ voluntati Patris, quia omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, pro his omnibus mortuus est Christus, qui, teste Apostolo, in Adam mortui originaliter sunt. Atqui omnes omnino homines, nullo excepto, præter Deiparam, tum fideles, tum infideles, tum

Albigenses, ut veteres prædestinatiani, docuerunt, Christum Dominum mortuum esse pro solis prædestinatis.

Secundus Albigensium Prædestinatianorum error invictissimè a V. Moneta impugnatur.

N 2 Præ-

(1) Monet. lib. 5. advers. Cathar. & Valden. cap. 15. §. 1. pag. 550. & 551.

prædestinati, tum reprobi, teste Apostolo, in Adam mortui originaliter sunt. Ergo quantum est de sufficientia pretii, quod acceptanti Patri obtulit Filius, & de Redemptoris benevolentia, consentanea benevolæ voluntati Patris, qua omnes homines vult salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire, pro omnibus omnino hominibus, nullo excepto, tum fidelibus, tum infidelibus, tum prædestinatis, tum reprobis Christus Dominus mortuus est. Ubi vero dicitur, Christum Dominum dedisse redemptionem pro multis, & Christi Sanguinem effundendum pro multis (1): *Ideo dicitur*, inquit Moneta, *quia etsi sufficit omnibus, non tamen omnibus profuit*. Itaque Christi Domini mors, ejusque Sanguinis pretiosissima effusio, eorum culpa, nec infidelibus pertinacibus fructuosa est justificantis gratiæ; sed solis fidelibus, qui non pauci, sed multi sunt: nec eorum culpa reprobis impœnitentibus fructuosa est sempiternæ salutis; sed solis prædestinatis, qui etiam non pauci, sed multi sunt. Nihilo tamen minus ex benevola voluntate admittentis Patris omnibus omnino hominibus sufficiens est ad salutem.

Albigenses, ut veteres prædestinatiani, docuerunt, ad salutem prædestinatos, ad perditionem reprobos irresistibiliter necessitari.

LIX. Tertius est locus, in quo Cathari, Manichæorum veterum successores, quos Moneta refellit, Prædestinatianos se prodiderunt. Docebant enim prædestinationem insuperabilem esse his, qui salvi fiunt, benefactorum omnium, ac sempiternæ vitæ necessitatem: reprobationem vero insuperabilem necessitatem esse his qui pereunt omnium malefactorum, sempiternæque mortis (2): *De Prædestinatione quidam male sentiunt*, narrat Moneta, *credentes, quod quidam homines creati sunt, qui ex necessitate salvabuntur, quidam vero ex necessitate damnabuntur*: Hos redarguens scriptor laudatus (3): *In operibus*, inquit, *liberi arbitrii consi-*
stit

(1) Monet. lib. 5. advers. Cath. & Vald. c. 15. §. 1. p. 550 & 551.
(2) Idem lib. 5. advers. Cathar. & Valden. cap. 15. pag. 549.
(3) Idem ibidem §. 2. pag. 551.

tit salus, & perditio, non in tali Prædestinatione (necessitante), *qualem isti* (idest Cathari) *ponunt*. Prædestinationem autem ad culpam, quæ justitiæ, ac sanctitati divinæ repugnat maxime, rejicit omnino Moneta, solamque ad pœnam prædestinationem, eamque ob prævisam prius culpam cum Augustino fatetur. Hæc enim contra Prædestinatianos docet (1): *Præparavit Deus quosdam ad supplicia, nec tamen præparavit ad facienda peccata. Præparavit Deus quod divina æquitas redderet, non quod humana iniquitas faceret. Augustius hæc regula inconcussè tenenda est: Peccatores in peccatis præscitos esse, non præparatos; pœnam autem esse præparatam, sicut præsciti sunt*. Quod autem nulla peccandi, nulla pereundi necessitate irresistibili prematur homo, demonstrat scriptor egregius ex libera potestate eligendi, qua fretus est homo, sine ulla irresistibili ad unum determinatione, nimirum ex humanæ libertatis arbitrio ab omni antecedenti necessitate penitus libero, seu ex activa, atque electiva libertate, quæ dicitur indifferentiæ, quam post Adæ lapsum permanere in homine multis præclarisque testimoniis ostendit. Sed audiatur ipse Moneta (2): *Vides quia neminem hic premit fati, vel perditionis necessitas, quia nemini negatur eligendi potestas. Non in unam partem trahit prædestinatio, ubi utriusque partis defertur electio*. Hæc autem sunt testimonia divina, quæ ad hanc rem demonstrandam Moneta depromit. Ecclesiast. c.15. v.14. usque ad 18. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata, & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appasuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum. quod placuerit ei, dabitur illi*. Rursus Deuteron. cap.30. v.19. *Testes invo-*

Tertius Albigensium Prædestinatianorum error a V. Moneta impugnatus.

Prædestinatio ad pœnam ex prævisa culpa; nulla tamen est Prædestinatio ad culpam.

Nulla perditionis necessitas, quia libera est eligendi potestas.

Libertas indifferentiæ ab omni irresistibili necessitate immunis declarata.

(1) Monet. advers. Cathar. & Valden. §.5. pag.558.
(2) Idem ibidem lib.1. cap.5. §.2. pag.68.

invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem; benedictionem, & maledictionem. Elige ergo vitam, ut tu vivas, & semen tuum. & diligas Dominum Deum tuum, atque obedias voci ejus, & illi adhæreas. Et iterum Pf. 118. v. 30. *Viam veritatis elegi: judicia tua non sum oblitus.*

Posito arbitrio libero nemo necessitate salvatur, nemo necessitate damnatur.

LX. Posito autem, constituto, ac demonstrato libero arbitrio, illud necessario, auctore Moneta, contra Prædestinatianos consequitur, neminem rationis compotem utpote arbitrii liberi necessitate salvari, neminem necessitate damnari, quod sæpenumero Moneta ostendit (1): *Arbitrium*, inquit, *liberum est in hominibus; frustra autem esset liberum arbitrium, si homo ex necessitate salvaretur. Præterea quod nulli ex necessitate salventur, vel damnentur, ostensum est.* Demonstrat autem Moneta neminem necessario salvari, neminem necessario damnari ex eo, quod si nulla habita bonorum, malorumque meritorum ratione, alii ad mortem, ad vitam alii prædestinantur, & quidem prædestinatione hos ad mortem, ad vitam illos necessitante, non judicandi, sed judicati nascimur, quinimmo præjudicati; nec constabit æquitas divini judicii, sed corruet (2). *Si unus*, inquit, *ad vitam necessario, & alter ad mortem deputatus est, non judicandi nascimur, sed judicati, nec ulla erit judicii æquitas*. Manet igitur Dei prædestinatio, & ea quidem certissima, sed quæ non convellit, non evertit vere liberum in utramque partem nostræ voluntatis arbitrium, sed cum eo optimè, atque amicicissime conciliatur (3): *Non negamus*, inquit Moneta, *quod aliqui sint a Deo prærdinati ad vitam æternam, sed non sunt ordinati ad eam habendam sine libero arbitrio*. Accedens autem ad interpretandum locum illum Apocalypsis, ubi ad vitam prædestinati appellantur *Signati*, docet, hos non idcirco eo

Ex Prædestinatione, & reprobatione necessitante, quæ consequantur absurda.

(1) Monet. adverf. Cathar. & Valden. lib. 5. cap. 15. §. 2. pag. 551. (2) Idem ibidem pag. 553. (3) Idem omnino ibidem.

eo appellari nomine, quod quodam necessitatis signo notati salvandi sint, sed quod secernantur a reprobis non bene usuris gratia, quorum scilicet reprobatio non ab ulla peccandi & pereundi necessitate, sed a libero horum abusu gratiæ est repetenda (1). *Signati*, inquit, *dicuntur, non signo necessitatis salvandi; sed signati, idest, distincti ab aliis non bene usuris gratia*. Quod autem nullam salutis, nullam damnationis antecedentem necessitatem prædestinatio, & reprobatio afferant, ex utriusque definitione, quam ex Ambrosio Moneta depromit, & probat, invectissime ostenditur (2): *Dicit Ambrosius*, verba Monetæ sunt, *quod prædestinare aliquem idem est, quod* præscire illum esse salvandum; *Prædestinatio igitur est præscientia salvationis. eodem modo Deus reprobat aliquem, sensus est, idest*, præscit illum esse damnandum; *unde reprobatio est præscientia damnationis*. Jam vero præscientia tum salvationis, tum damnationis, non est nisi necessitas consequens. Præscientia enim exequendæ, prædestinante Deo, salvationis consequitur præscientiam finalis perseverantię. præscientia vero damnationis consequitur præscientiam finalis impœnitentiæ. Ideo enim Deus prȩscit unum esse executivè salvandum, quia præscit unius finalem perseverantiam: similiter, ideo Deus præscit alterum esse damnandum, quia prȩscit alterius finalem impœnitentiam; quæ postremæ & certissimæ causæ sunt futuræ salvationis, & damnationis. Cum autem activa finalis perseverantia, & activa finalis impœnitentia sint actiones liberę hominis, hinc utraque prȩscientia illa non est nisi necessitas consequens, quæ non modo non tollit, verum etiam confirmat libertatem indifferentię. De hujusmodi vero prȩscientia hęc docet Moneta (3): *Præscientia Dei non aufert libertatem voluntatis; ne quis dicat; etsi vo-*

Prædestinatio est præscientia salvationis. reprobatio præscientia est damnationis.

Præscientia utraque consequens; neutra est salutis, & damnationis antecedens necessitas.

Præscientia Dei nec libertatem a coactione, nec libertatem tollit a simplici necessitate.

(1) Monet. advers. Cathar. & Valdens. pag. 554.
(2) Idem ibidem §. 6. pag. 558.
(3) Idem ibidem § 5. pag. 557.

voluntatem non tollit, tamen ejus libertatem excludit: non enim aufert potestatem ejus a nobis, sed eam in nostra potestate relinquit. Aurea sententia, qua demonstratur tum libertas a coactione, tum libertas a simplici necessitate, quę libertas indifferentię dicitur.

Quartus Albigentium Prædestinatianorum error a V. Monetæ impugnatus.

LXI. Postremo adversus Catharos ætatis suæ prædestinatianos liberum nostræ voluntatis arbitrium Moneta defendit, illudque ab omni irresistibili necessitate vindicat, a Divina prædestinatione, & reprobatione prorsus aliena. Liberum autem nostræ voluntatis arbitrium ex eo, Augustino teste, demonstrat, quod nostra voluntas in potestate nostra maximè est, itaut nihil in nostra magis potestate sit quam ipsa voluntas nostra. Hæc enim habet (1): *Dicit Augustinus lib. 3. de Lib. Arbitr. cap. 3.* Non possumus aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est: *Mox enim ut volumus adest voluntas; Ergo ipsa voluntas maximè est in potestate nostra.* Ita vero in potestate nostra posita est voluntas nostra, ut nulli affixa, nulli alligata sit parti, sed nostræ penitus potestatis sit in utramque partem sive volendo, sive nolendo, ut libuerit, eam inflectere, inclinare, ac detorquere. Talem autem nos accepisse a Deo voluntatem, in quamlibet partem ad nutum nostrum versatilem verbis his docet Moneta (2): *Voluntatem* Deus *omni homini, ut eam in quamlibet partem versaret, indulsit.* Qualis autem vis, & natura sit liberi nostræ voluntatis arbitrii hac docet definitione Moneta, nimirum, Libera prorsus volendi & nolendi potestas. Hac potestate fretus unusquisque suæ voluntatis est dominus. Hanc autem potestatem etiam post Adæ lapsum in natura hominis permanere pluribus Dei testimoniis Moneta demonstrat,

Libertas indifferentiæ ab omni irresistibili necessitare immunis in homine lapso a V. Moneta vindicatur.

(1) Monet. adversus Cathar. & Valden. lib. 5. cap. 15. §. 4. pag. 557. (2) Idem ibidem §. 1. pag. 553.

strat, quibus nostræ voluntatis arbitrium, non modo a coactione, quæ pugnat cum voluntate, sed a quavis etiam simplici necessitate liberum ostendit. Pauca quædam seligo ex multis. De his enim, quos Petrus admonuit, ut peregrinari, seu recedere nollent a Christo (1): *In potestate*, inquit, *eorum erat velle & nolle peregrinari, seu recedere a Christo; ergo habebant liberum arbitrium*. Item de eo, quem paterfamilias ad excolendam vineam suam invitavit (2): *Constat*, inquit, *quod iste liberum arbitrium habebat nolendi, & volendi ire ad operandum in vinea Domini*. Rursus de Judæis, qui noluerunt contra Dei voluntatem sub Divinæ caritatis alas congregari hæc habet (3): *Ecce arguit eos, quia nolebant congregari sub alas ejus; habebant ergo in potestate sua velle congregari; ergo habebant liberum arbitrium*. Ex his autem, hisque similibus contra Prædestinatianum Catharum concludit Moneta (4). *Si potest* (homo) *illud facere, & vitare, dummodo velit; in voluntate ergo sua est, vel hoc, vel illud; ergo liberum arbitrium habet & ad bonum, & ad malum; ergo si damnabitur, vel salvabitur, ex libero arbitrio erit, non ex ordinatione quam tu posuisti*. Postremo scriptor egregius universæ doctrinæ catholicæ de libero arbitrio hominis, hoc argumento deducto ab horribili absurdo, tanquam fastigium imponit. Sic enim disputat de homine improbo, & reprobo (5): *Aut iste habet liberum arbitrium, aut non. Si non: Dico quod Deus non potest eum justè damnare. Potest enim dicere Deo, Quare tu punis me? Si dicat Deus, Quia sic fecisti: Ipse potest ei respondere rationabiliter, Ego non habui arbitrium aliud faciendi: Arbitrium autem ab alio, quam a te habere non potui: Ergo injuste me damnas*. Sublato itaque vere & proprie libero arbitrio,

Soblata libertate indifferentiæ, tollitur divina justitia.

O

(1) Monet. adverf. Cathar. & Valden. lib. 5. pag. 66.
(2) Idem omnino ibidem. (3) Idem omnino ibidem.
(4) Idem ibidem lib 5, cap. 15. §. 1. pag. 555.
(5) Idem omnino ibidem.

bitrio, non modo vacillat, sed corruit omnino Divina æquitas & justitia; & de Deo omnium Patre amantissimo, quod humanæ aures ferre non possunt, fit crudelis, & immanis Tyrannus.

CAPUT XIV.

De Lutheranis Manichæorum successoribus.

Lutherani Manichæorum Successores.

LXII. Capitalissimus error Manichæorum fuit, nullum inesse hominibus arbitrium liberum: actiones hominum cum honestas, tum flagitiosas non ab humanæ naturæ libertate, quam reiciebant, sed ab insuperabili necessitate pendere: duo tandem principia existere, quorum unum ad bonas, alterum ad malas actiones hominem necessitaret. Eujuimodi errorem, in quo summa Manichææ hæresis continetur, Lutherus, ejusque discipuli Lutherani instaurarunt. Quod enim ad Lutherum pertinet, in ipsomet aditu ac vestibulo libri, quem ad Erasmum Roterodamum dedit, quid de libero sentiret arbitrio satis superque declaravit. Repudiato enim antiquissimo, ac pervulgatissimo nomine liberi arbitrii, hoc malitioso vocabulo, & fraudolento librum inscripsit suum, *De Servo Arbitrio*. His autem sententiis, quæ verba Lutheri sunt, totum conspersit, quin potius inquinavit opusculum (1): *Liberum arbitrium esse merum mendacium* (2): *Liberum arbitrium esse inanem voculam, cui res amissa sit* (3): *In omnium cordibus scriptum invenitur, liberum arbitrium nihil esse* (4). *Libertas arbitrii nihil est coram Deo* (5). *Perpetuo asserui usque in hanc horam, liberum arbitrium esse nihil, & rem de solo titulo* (6). *Hominem non esse sui juris, aut operis liberum electorem, aut factorem* (7) *Liberum*

Liberum arbitrium a Luthero negatum.

(1) Luter. de Serv. Arb. tom.3. edit. Jenuan. 1603. f.161.
(2) Idem ibidem f. 183. (3) Idem ibidem f. 202.
(4) Idem ibidem f.206. (5) Idem ibidem f.217.
(6) Idem ibidem f.213. (7) Idem ibidem f.235.

ram arbitrium esse plane divinum nomen; nec ulli posse competere, quam soli divinæ Majestati (1). *Patres, quatenus liberum arbitrium asserant, esse imperitissimos sacrarum literarum*. Hactenus Lutherus de rejecta atque explosa ab humana natura, qualis nunc est, liberi arbitrii facultate. Qualem autem libertatem Lutherus exeluserit ipsemet apertissime manifestat. Docet enim non se quidem libertatem a coactione, quę pugnat cum voluntario, sed solam dumtaxat libertatem indifferentię rejicere, quę insuperabilis necessitatis sit expers. Quidquid enim humana voluntas boni, vel mali facit, non invita & coacta, quod omnino repugnat, sed volens, ac lubens; atque suavitate, ac delectatione eam pertrhaente, facit (2). *Voluntas*, inquit, *si cogeretur, voluntas non esset. Nam coactio potius est, ut sic dicam, Noluntas*. Item (3), *Voluntas sive divina, sive humana nulla coactione, sed mera lubentia, vel cupiditate, quasi vere libere facit, quod facit, sive bonum, sive malum*. Ex hac sordidissima inquinatissimaque Lutheri cloaca duos errores hausit Jansenius, suisque discipulis propinavit: alterum de admissa dumtaxat libertate a coactione, negataque libertate, quę dicitur, indifferentię: alterum de gemina delectatione, una ad bonum, altera ad malum irresistibiliter necessitante.

Libertate indifferentiæ repudiata, sola libertas a coactione a Luthero admissa.

LXIII. Itaque, auctore Luthero, non alia remanet libertas homini, nisi libertas a coactione: & hęc sola libertas sufficit ad bonum malumque meritum contrahendum, & ad rationem comparandę sibi mercedis, & præmii. Neque vero, eodem auctore, ad hęc requiritur libertas indifferentię, seu libertas a necessitate simplici, quam Lutherus necessitatem immutabilitatis appellat, quòd talis necessitas ita ad unum applicat, & affigit, ut potestatem excludat ad oppositum se convertendi, seu ab eo statu se

(1) Luther. de Serv. Arb. tom. 3. edit. Jenæ an. 1603. f. 180.
(2) Idem ibidem f. 178. (3) Idem ibidem f. 166.

Sola necessitas coactionis, non autem necessitas simplex, auctore Luthero pugnat cum merito, & mercede.

se commutandi. Sed Lutherus ipse audiatur (1). *Quod necessitas neque meritum, neque mercedem habet, si de necessitate coactionis loquimur, verum est; si de necessitate immutabilitatis loquimur, falsum est.* Mox Lutherus concludit (2): *Stat igitur ex merito non probari liberum arbitrium*: nimirum liberum a necessitate simplici, disjuncta, & remota a necessitate coactionis. Omnino consonat hic cum Luthero Jansenius, cujus hęc est propositio tertia damnata, *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

De libertate hominis ad merendum, & demerendum necessaris, Jansenius perfectissime consonat cum Luthero.

Quanquam Lutherus quandoque indulgere videtur homini libertatem indifferentiæ, seu a simplici necessitate; attamen ad actiones mere naturales, quales sunt standi, sedendi, ambulandi, quiescendi, legendi, &, ut Volfio placet, ad officia etiam virtutum moralium, sed ordinis naturalis, hisque contrarias actiones; quæ sane libertas perexigui, & prorsus nullius momenti est, si cum libertate ad ea, ad quæ salutem pertinent, comparetur. Contra vero libertatem indifferentiæ ad actiones salutares, quæ supra naturam sunt, & ad consequendam sempiternam salutem perducunt, de qua tota controversia est, & in qua summa rerum versatur, præfracte, & pertinaciter pernegat (3). *Liberum*, inquit, *arbitrium nemini nisi soli Deo convenire: Arbitrium fortassis homini aliquod recte tribueris; sed liberum arbitrium in rebus divinis nimium est.* Et alio loco multo apertius (4). *Ergo Deum*, inquit, *vel in rebus quæ pertinent ad salutem, vel damnationem non habet* (homo) *liberum arbitrium, sed captivus, subjectus, & servus est, vel voluntatis Dei, vel voluntatis Satanæ.*

Libertas indifferentiæ ad actus naturales a Luthero permissa, ad actus salutares prorsus negata.

LXIV. Humanas actiones cum honestas tum flagitiosas, cum salutares tum exitiales non a libero arbitrio, sed ab insuperabili necessitate exoriri post ne-

(1) Luther. de Serv. Arb. f. 192. tom. 3. (2) Idem ibidem f. 193. (3) Idem ibidem f. 180. (4) Idem ibidem f. 172.

ineptas multas argutiolas & cavillationes his verbis concludit Lutherus (1) *Fixum ergo stat, Nos omnia necessitate, nihil libero arbitrio facere*. Cum autem objecta sibi esset propositio illa Vicleffi in Constantiensi Concilio damnata, *Omnia necessitate fieri*, sic se ab his laqueis, consueta sibi impudentia & temeritate liberum jactat (2), *Fateor articulum Vicleffi*, Omnia necessitate fieri, *esse falso damnatum Constantiensi Conciliabulo, seu conjuratione potius, & seditione*. Itaque voluntatem, si bona est, ad bonum; sin mala ad malum volendum atque faciendum irresistibiliter rapi affirmabat. Hæc enim ejus sententia est (3). *Rapitur omniam voluntas ut velit, & faciat, sive sit bona, sive sit mala*. Hujusmodi vero insuperabilem voluntatis raptum ad volendum atque faciendum malum tribuebat Lutherus effrænatæ post lapsum Adæ cupiditati, quæ in malum pronitas, atque proclivitas usurpatur in sacris libris: in quo quid Janseniana de præponderante cupiditate mala a Lutherana sententia differat profecto non video (4). *Pronitate*, inqnit, *ad malum Scriptura vult assiduum illum raptum, & impetum voluntatis ad malum significare*. Ex hoc autem consequitur intolerabilis prorsus absurditas, Deum scilicet damnare hominem, qui non potest ullis suis viribus aliud facere, quam peccare, & reus esse. Fac enim versari hominem sub præponderante cupiditate mala, sibi prorsus involuntaria, & indeliberata, quæ a Luthero dicitur ad malum pronitas, hunc necesse est insuperabili sibi necessitate & peccare, & reum esse, atque a Deo idcirco damnari. At apud Lutherum, sicut & apud Jansenium, nullum in hoc continetur absurdum. Sed audiatur Lutherus (5), *Deus damnat eum, qui non potest ullis suis viribus aliud facere, quam peccare, & reum esse*. Consequitur etiam ex prædominante ac prævalente illa pronita-

Omnia necessitate, nihil arbitrio libero fieri docet cum Vicleffo Lutherus.

Necessitas peccandi, auctore Luthero, oritur ex cupiditate mala prædominante.

Necessitate peccantes, auctore Luthero, juste damnantur a Deo

(1) Luter. de Serv. Arb. f.171. (2) Idem ibidem f.395.
(3) Idem ibidem f.213. (4) Idem ibidem f.209.
(5) Idem ibidem f.229.

nitate, quæ voluntatem ad malum irresistibiliter rapit, cujus irresistibili imperio, Luthero auctore, assidue premuntur infideles & impio, omnia hujusmodi hominum opera peccata esse (1). *In Deum*, inquit, *peccat impius, sive edat, sive bibat, aut quidquid fecerit*. Huic Lutheri errori, ex paribus principiorum tibiis inflatis, nihil penitus discrepat Bajana illa, eademque Jansenianæ cantilena damnata, *Omnia infidelium opera peccata sunt, & philosophorum virtutes sunt vitia*.

Omnia Infidelium opera, auctore Luthero, peccata sunt.

LXV. Quod autem pertinet ad Manichæorum principia ad bonum atque ad malum necessitantia, quibus positis evertitur funditus arbitrium liberum, similia docet Lutherus. Affirmat enim cum Dei præscientiam, tum Omnipotentem Dei voluntatem, ea sane de causa, quòd nostris actionibus necessitatem afferant, cum liberi arbitrii doctrina prorsus pugnare (2). *Pugnant*, inquit, *ex diometro præscientia, & omnipotentia Dei cum nostro libero arbitrio. Hæc, inquam, omnipotentia, & præscientia Dei funditus abolent dogma liberi arbitrii*. Quin etiam præscientiæ atque voluntatis divinæ vim, atque præstantiam, consueta sibi audacia, fulmen appellat, quo liberum deflagrat arbitrium (3). *Hoc fulmine*, inquit, *sternitur, & conteritur penitus liberum arbitrium*. Ubi vero quid de divina præscientia, quid de prædestinante Dei voluntate, quid de libero humanæ & angelicæ naturæ arbitrio ipse credat & sentiat, aperte & libere profitetur (4), *Credimus*, inquit, *verum esse, quod Deus præscit, & præordinat omnia, tum neque falli, neque impediri potest sua præscientia, & prædestinatione, deinde nihil fieri nisi ipso volente; nullum* (igitur) *potest esse liberum arbitrium in homine, vel Angelo, vel alia creatura*. Exemplum autem extincti sub divina præscientia liberi non quidem a coactione, sed a simplici

Omnipotentia Dei, præscientia, voluntas, prædestinatio, auctore Luthero, necessitates sunt, quæ arbitrium liberum tollunt.

(1) Luther. de Serv. Arb. f.221. (2) Idem ibidem f.202.
(3) Idem ibidem f.165. (4) Idem ibid. f.218.

plici neceſſitate arbitrii in proditore Juda hac ſe puerili ratione exhibere gloriatur (1). *Si præſcivit Deus Judam fore proditorem, neceſſario Judas fiebat proditor, nec erat in manu Judæ, aut alitus creaturæ aliter facere, aut voluntatem mutare, licet id fecerit volendo, non coactus.* Quod de præſcientia docet multo majori impietate de divina voluntate confirmat, qua ita indurat nos Deus, ut voluntate ſua ad pertinaciam, & obſtinationem in malo irreſiſtibiliter nos neceſſitet (2). *Voluntas*, inquit, *Dei nobis neceſſitatem inducit. Non eſt in manu noſtra ejus voluntatem mutare, multo minus reſiſtere, qua nos vult induratos, qua voluntate cogimur eſſe indurati, velimus, nolimus.* Neque ſolum ad actiones malas, ſed ad omnes omnino noſtras actiones, cujuſcumque generis fuerint, auctore Luthero, nos divina voluntas neceſſitat (3). *Omnia quæ facimus*, inquit, *fiunt neceſſario, & immutabiliter, ſi Dei voluntatem ſpectes.*

LXVI. Neque vero neceſſitanti dumtaxat voluntati Dei, verum etiam neceſſitanti voluntati ſatanæ mancipatam hominis voluntatem contendit Lutherus. Ad explicandam autem belluinam prorſus voluntatis humanæ, amiſſa penitus libertate, conditionem, exemplum petit a belluarum omnium ſtolidiſſima. Voluntatem igitur hominis jumento comparat, quod ire neceſſe eſt quocumque ſeſſor voluerit. Si Deus inſideat, eò, quò vult Deus; ſin vero Satan, eò, quò vult Satan, inertis inſtar jumenti, voluntas hominis neceſſario fertur (4). *Humana*, inquit, *voluntas in media poſita eſt, ceu jumentum. Si inſederit Deus, vult & vadit quò vult Deus; ſin inſederit Satan vult & vadit quò vult Satan.* Præter extrinſeca, de quibus ſupra, duo etiam contraria principia intrinſeca ad bonum unum, ad malum alterum neceſſitantia, quem-

Voluntas Dei, & voluntas Satanæ, auctore Luthero, duplex eſt nobis boni, malique neceſſitas.

(1) Luther. de Serv. Arb. f.201. (2) Idem ibidem f.201.
(3) Idem ibidem f.165. (4) Mart. Luter. de Serv. Arb. tom. 3. f. 171.

quemadmodum & Manichæi, docet Lutherus: peccatum scilicet originale, quod post baptismum remanere contendit in baptizatis hominibus, quamvis his non imputetur a Deo; item, interiorem Dei gratiam, quam ad salutares actiones, sicut originale peccatum ad exitiales, irresistibiliter nos compellere affimat. De peccato enim originali hæc sunt, quæ maxime impia, & intolerabili absurditate Lutherus tradit (1): *Deus damnat immeritos, hoc est, impios ejusmodi, qui in impietate nati non possunt ulla ratione sibi consulere, quia impii sint, maneant, & damnentur, coguntur que necessitate naturæ peccare, & perire; cum tales creentur ab ipsomet Deo ex semine vitiato per unius Adæ peccatum.* Et iterum de eodem communi, & hereditario peccato (2). *Idipsum*, inquit, *originale peccatum liberum arbitrium prorsus nihil sinit posse, nisi peccare, & damnari.* Contra vero ab interiori Dei gratia, qualis est illustratio superna, hominem ad Christum rapi suavissimo quidem raptu, sed, prorsus irresistibili affirmat, quo libertatem a necessitate negat, eandemque liberat a coactione. Hæc enim habet (3): *Illuminatione spiritus rapitur homo ad Christum dulcissimo raptu, & patitur loquentem doctorem, & trahentem Deum, potiusquam ipse quærat, & currat.* Et rursus alio loco, non a libero arbitrio, sed a Spiritu Dei, hoc est, ab interiori Dei gratia, ut serra & securis, quæ resistere nequeunt opifici, & agi, & rapi christianos affirmat (4): *Christiani*, inquit, *non libero arbitrio, sed Spiritu Dei aguntur. Agi vero non est agere, sed rapi, quemadmodum serra & securis a fabro agitur.* Postremo auctore Luthero, dum adest homini Dei gratia, quæ ad bonum volendum voluntatem ejus affigit, nulla libertas ipsi relinquitur aliò, idest, ad malum se convertendi, nec aliud prætér-quam

Peccatum originale auctore Luthero, nobis est peccandi necessitas; Dei autem gratia necessitas nobis est bene vivendi.

(1) Mart. Luter. de Serv. Arb. tom. 3. f. 218. (2) Idem Ibidem f. 224. (3) Idem ibidem f. 195. (4) Idem ibidem f. 228.

quam bonum volendi (1): *Nulla*, inquit, *libertas est aliò sese vertendi, aut aliud volendi donec durat spiritus, & gratia Dei in homine*. Venio nunc ad primarios Lutheri discipulos, qui arbitrium liberum apertissime sustulerunt, quanquam in re non dubia utor testibus non necessariis. Philippus quidem Melanthon deplorat receptam apud christianos veterum philosophorum de libero humanæ voluntatis arbitrio sententiam, quam impius impiam appellat (2): *Receptum est*, inquit, *impium de libero arbitrio dogma, & obscurata Christi beneficentia per profanum illam, & animalem rationis nostræ sapientiam: usurpata est vox liberi arbitrii a Divinis literis, a sensu, & judicio spiritus alienissima, qua videmus sanctos viros non raro offensos esse*. Plaudit Lutherus discipulo suo Melanthoni, quod sustulerit arbitrium liberum, ejusque opusculum, in quo hæc continentur, summis effert in cælum laudibus: atque Erasmo arbitrii liberi defensori tanquam arma invictissima, sed vere plumbea, Melanthonis rationes objicit, quibus liberum impugnat Melanthon arbitrium (3). *His argumentis*, inquit, *Erasme, tuis conculcatis, & prorsus protritis per Philippi Melanthonis de locis theologicis invictum libellum, meo judicio non solum immortalitate, sed canone quoque Ecclesiastico dignum*. Matthias Illyricus exprobrat Clementi Alexandrino, ceterisque ejus æqualibus sæculi IV. Patribus, eoque magis deinceps, quòd docuerint liberum humanæ voluntatis arbitrium, quos in densissimis ignorantiæ tenebris versatos esse ausus est cæcus ipse impudens affirmare (4). *Eodem*, inquit, *modo Clemens Alexandrinus liberum arbitrium ubicumque asserit, ut appareat in ejusmodi tenebris, non tantum fuisse omnes ejus sæculi doctores? verum etiam in posterioribus ea subinde crevisse*.

Lutheri discipuli in eadem sententia sunt cum magistro suo, de interitu arbitrii liberi.

P LXVII. Jam

(1) Mart. Luter. de Serv. Arb. tom.3. f.171.
(2) Philip. Melanth. de Loc. Theol. (3) Luter. ibid. 160.
(4) Matth. Illyr. centur.2. cap.4. col.59.

LXVII. Jam vero ex superioribus testimoniis, quæ nec pauca, nec incerta, nec ambigua sunt, res est omnino perspicua atque explorata, negatum a Lutheranis, ad Manichæorum exemplum, liberum humanæ voluntatis arbitrium. Nihilo tamen minus Jo. Christophorus Volfius in opusculo, quod inscripsit, *Manichæismus ante Manichæos*, præfidenter negat repudiatum a Lutheranis arbitrium liberum. Quin etiam Venerabilem Dei Servum Robertum Cardinalem Bellarminum, de Christiana republica in aureis suis controversiis optime meritum: quem idcirco, quæ maxima ejus laus est, omnes hæretici, improbique homines detestantur, cui & Lessium adjungit, alterum hæreticæ pravitatis malleum in judicium vocat de illata Luthero, Lutheranisque per quaminiqua & malitiosa violentia, quod docuerit sublatum ab his liberum nostræ voluntatis arbitrium. Sed Volfius ipse audiatur (1). *Certum est*, inquit, *Luthero, ac nostratibus maximam a Bellarmino vim fieri, qui eos negati liberi arbitrii insimulat. Ita enim ait tom.4. præfat. super 3. Controv. Gener. pag.506.* Arbitrii libertatem nobis omnibus suis sententiis detraxerunt, seque ipsi non belluarum similes, sed belluas plane rationis expertes profiteri non dubitarunt. *Adde Lessium in consultatione p.25., quo Judice, Tollimus libertatem arbitrij, & docemus, omnia inevitabili necessitate fieri: hominemque non posse vires suas bonas facere, aut malas.* Subdolum Bellarmini consilium in superioribus ejus verbis ex aliis alio loco depromptis ejusdem verbis se demonstrare Volfius existimat, quod posteriora ejus verba superioribus omnino repugnent (2) *Subdole*, inquit, *sane cum Lutheranis in hoc negotio egisse ipse sentiet Bellarminus, si meminerit eorum verborum, quæ alio loco consignata reliquit, nempe libro.3. cap.15.* Certum est, *inquiens*, neque enim hæretici de hac re conten-

Volfii calumniæ contra v. Bellarminum, & Lessium.

(1) Jo. Crist. Volf. Manichææ. Ante Manich. sect.3. pag.411.
(2) Idem ibidem pag.412.

tendunt, sed solum de homine per peccatum primi parentis de statu suo dejecto. = Hæc eo Bellarminus loco. At nulla probabilitate fretus hæc Volfius exprobat Bellarmino. Etenim & vera sunt, & optime inter se cohærent, quæ duobus objectis a Volsio locis Bellarminus affirmat. Quod enim pertinet ad negatum a Lutheranis arbitrium liberum ex his quæ supra produximus, maxime vero ex Luthero *De Servo Arbitrio*, res est adeo clara & perspicua, ut luceat ipsa per se, quam nisi oculos sibi quispiam effodiat, se videre prorsus negare non potest. Quod autem non pugnent, sed optime sibi consentiant duo deprompti ex Bellarmino loci, non exploratum minus perspicuumque est. Affirmat etenim primo loco Bellarminus libertatem arbitrii nobis omnibus, quales utique sumus, qui non in statu naturæ integræ, sed in statu versamur naturæ lapsæ, Lutheranos sententiis suis detraxisse. Hoc nihil certius, atque exploratius. Altero autem loco docet, hæreticos non de libero arbitrio hominis secundum se considerati, qualis erat in statu naturæ integræ, sed de ejus arbitrio libero in statu naturæ lapsæ, in quo versamur omnes, contendere: illudque passim concedere homini integro, ubique vero homini lapso negare. Quod & verissimum, & optime conciliatur cum primo.

V. Bellarmini defensio contra calumnias Volfii.

LXVIII. Sed quo magis mirere hominis temeritatem, & inconstantiam, eo ipso loco, quo se cum adjutoribus suis Lutheranis defensorem venditat arbitrii liberi, funditus tollit liberum, de quo disputatur, arbitrium. Ipsa ejus verba produco (1). *Nos*, inquit, *libertatis causam minime in theologico, sed philosophico foro agere, hominemq. in actionibus TANTUM externis, moralibus, ac civilibus, quæ vel ad virtutis, vel vitii normam exiguntur, liberi arbitrii esse statuere. Quam distinctionem vel negligentes*, vel

Volfius admisso arbitrio libero ad actus mere naturales, negat arbitrium liberum ad actus salutares.

(1) Jo. Christ. Volfius Manichæis ante Manich. sect. 3. pag 429. & 450.

vel dissimulantes Pontifices, sacrorum nostrorum Doctores in eorum numerum perperam retulerunt, qui hominis voluntati OMNEM libertatem animerent. Esse igitur in homine circa externam virtutis studium, vitiorumque fugam arbitrium liberum cum præstantissimis quibusque Philosophis affirmo. Jam vero audiat Volfius, Lutherani audiant. Apud Christianos libertatis causa non ad philosophicum Socratis, Platonis, Aristotelis, vel Stoicorum forum; sed ad Canonicorum Scriptorum, Sanctorum Patrum, & ad Apostolicæ traditionis forum pertinet universa. At Volfius cum suis Lutheranis a foro Christiano ad forum paganum, & a Christianis Judicibus ad paganos Judices causam christianam, repugnantibus christianis legibus, transfert. In hoc autem profano judicio apud gentiles Judices non aliam libertatem defendit Volfius nisi naturalem dumtaxat, & ad actus tantummodo naturales, qui ad consequendam sempiternam salutem prorsus inepti sunt. Contra vero libertatem christianam, divina gratia adjutam, quæ sempiternam salutem spectat, quæ salutarium actuum, salutariumque meritorum effectrix est, quæ ad sempiternam salutem adipiscendam prorsus est necessaria, de qua tota nobis catholicis cum hæreticis est controversia, omnino negat, atque repudiat. Itaque naturalis & salutaris, theologicæ & philosophicæ, paganæ atque christianæ libertatis distinctionem illam, de qua nos calumniatur Volfius, nec ignoramus, nec negligimus, neque dissimulamus: sed naturalem, profanam, & philosophicam venditatam ab eo libertatem nihil ad sempiternam salutem adipiscendam conferre affirmamus. Item, non exprobramus hæreticis negatam ab eis naturalem, philosophicam, seu Stoicam libertatem, de qua nobis cum hæreticis non est quæstio; sed salutarem, christianam, & theologicam, qua sublata, & omnis præcluditur via ad salutares actus, ad salutaria merita, & ad sempiternam salutem subsidiis talibus promerendam; & ad irresistibilem in his,

Impugnatio Volfii, ceterorumque Lutheranorum in causa Liberi Arbitrii.

quæ

quæ ad salutem, & animæ mortem pertinent, necessitatem cum Manichæis devenitur.

LXIX. Neque vero se continet Volfius in sola dirutæ arcis suæ defensione de philosophica dumtaxat hominis libertate, qua se suosque a Manichæismo frustra nititur vindicare. Sed impetum quoque facit contra Catholicos, quos putida illa & decantata ab eis cantilena Pontificios appellat, eosque tanquam Manichæismo adspersos exagitandos aggreditur(1). *In Pontificia*, inquit, *Ecclesia Manichæismi vestigia observavit felicissimus puritatis Evangelicæ asserter, & vindex B. Calovius tom. 5. System. pag. 227.*. Nec vero alieni prorsus, *inquit*, ab hoc errore sunt Lombardus lib. 11. dist. 30., Bonaventura, Durandus, Thomas 1. 2. quæst. 82. art. 3., cum peccatum originis habitum quendam corruptum dicunt, quam sententiam esse Gregorii Ariminen., Henrici Gandaven., & Jo. Driedonis, quod scilicet sit morbida quædam qualitas in anima prava desideria perpetim excitans, fatetur Bellarminus; sed, & Tannero teste tom. 11. disput. theol. scholast. disp. 4. quæst. 2. Cajetanus, Medina, Zumel, & ceteri Thomistæ recentiores peccati originalis malitiam positivam statuunt. = Hactenus Volfius testem producens Calovium. Si ob hæc, quod absit, Manichæismi vestigia observantur in nobis, multo magis, ob constitutam ab eis originalis peccati vim, & naturam, Lutherani censendi sunt Manichæi. Etenim Bellarmino teste lib. 5. de amis. gratiæ, & statu peccati cap. 1. 4. & 5. Lutherus, Matthias Ilyricus, aliique Lutherani non pauci peccatum originale, non qualitatem morbidam, sed malam esse substantiam docent, atque idcirco de genere naturæ malæ, quam Manichæi primi invexerunt. Qui vero de Lutherano grege in definiendo originali peccato aliter statuunt; & vel ipsumet actuale peccatum esse, quod habitu dein-

Volfii, & Calovii calumnia de Manichæismo catholicorum.

Volfii, & Calovii telum, in Catholicos languidissime emissum, in eos ipsos validissime retorquetur.

(1) Jo. Christop. Volf. Manichæis. Ante Manich. sect. 2. pag. 256.

deinceps animæ inhæret, vel concupiscentiam esse constituunt, quam post baptismum quoque experimur in nobis, in morbidam hi qualitatem, in habitum corruptum, in positivam malitiam facile relabuntur, quam nostris theologis temere, & impudenter objiciunt. Profecto originalis peccati tum natura & ratio, tum ejus propagatio & diffusio res est ad credendum quidem certissima, sed ad intelligendum atque explicandum difficillima pariter, & obscurissima, quæ theologorum omnium vel acerrima semper torsit ingenia. Pelagiani ob affirmatum peccatum originale, ejusque in universum hominum genus propagationem, falso crimine Augustinum de Manichæismo accusarunt. Nunc vero, quod longe admirabilius est, Lutherani, verissimi atque certissimi Manichæi, multo impudentiori temeritate Manichæismi insimulant catholicos nostros theologos. Docuerunt Manichæi præter bonam inesse homini quamdam naturam malam, quæ necessaria esset causa peccati. In hoc potissimum latet virus hæresis Manichææ. At quis unquam nostrorum theologorum docuit inesse, vel adesse, vel superesse homini quidquam, quod nos ad peccandum irresistibiliter necessitaret? Talia monstra non docent nisi Lutherani, Calviniani, Janseniani, qui idcirco jure, ac merito in Manichæorum numero habentur.

Lutherani, Calviniani, Janseniani verissimi Manichæi demonstrantur; minime vero catholicorum theologi.

LXX. At, inquiunt, commemorati theologi morbidam quamdam qualitatem esse affirmant peccatum originale, quæ prava desideria in nobis perpetim excitat. Quid tum? An vero docent idcirco, qualitatem hujusmodi ad pravum consensum voluntatem necessitare, ab eaque pravis hujusmodi desideriis indeliberatis consensionem irresistibiliter extorquere? Nihil profecto minus. Quod si Manichæi sunt dicendi, qui docent rem quamdam malam inesse nobis, quæ prava excitat desideria, Manichæum hac ipsa de causa cum Pelagianis Augustinum dicant, quinetiam Manichæum appellent Apostolum.

Ab iniqua Manichæismi accusatione Catholicorum theologi vindicantur.

ftolum. Paulus enim rem hujusmodi malam, quam legem peccati nominat, inesse sibi fatetur, dolet, atque deplorat (1). *Video*, inquit, *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis*. Et iterum alio loco (2), *Caro concupiscit adversus Spiritum; Spiritus autem adversus carnem; hæc enim sibi invicem adversantur, ut non, quæcumque vultis illa faciatis*. Augustinus vero (3), *Quamvis*, inquit, *& in hominibus natura generatis, gratia regeneratis, sit ista carnalis concupiscentia repugnans legi mentis, tamen remissa est in remissione peccatorum, nam jam illis in peccatum reputatur; nec nocet aliquid nisi ejus motibus ad illicita consentiatur*. Et rursum alio loco de re eadem (4), *Concupiscentia*, inquit, *carnis adversus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati est, quia reddita est meritis inobedientiæ; & causa peccati est, defectione consentientis, vel contagione nascentis*. Bellarminus quidem lib. 5. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 15., sententiam Petri Lombardi, Henrici Gandavensis, Gregorii Ariminensis, & Joa. Driedonis, qui multo ante Concilium Tridentinum scripserunt, improbat, & refellit, non quòd ad Manichæos accedant, quæ Lutherana calumnia est; verum quia Lutheranis, & Calvinianis in eo sibi videantur accedere, quòd, ubi definiunt quid sit peccatum originale, cum concupiscentia illud confundant, quæ pœna est originalis peccati. Cum autem post baptismum in baptizatis adhuc ad pugnam, atque victoriam concupiscentia maneat, his auctoribus videtur consequi, peccatum ipsum originale in baptizatis quoque manere, quamvis ad culpam, & ad pœnam

(1) Apost. ad Rom. 7. 23. (2) Idem ad Galat. 5. 17.
(3) Aug. lib. 1. de Nup. & Concupisc. cap. 34. num. 58. tom. 10. (4) Idem lib. 5. contra Julian. Pelagian. cap. 3. num. 5. tom. 10.

nam his non imputetur a Deo, quæ Lutheranorum, & Calvinianorum sententia est.

Ab iniqua Manichæismi accusatione defenditur S. Thomas, aliique catholicæ Ecclesiæ theologi.

LXXI. Quod autem pertinet ad ceteros catholicæ Ecclesiæ theologos, quos nobis obiicit adversarius, maxime vero ad S. Thomam, ceteris prætermissis, in quos etiam benigna cadit interpretatio, dico Lutheranam calumniam esse, Doctorem Angelicum peccatum ipsum originale secundum se, quod formale peccati dicitur a scholasticis, in corrupto habitu constituisse: quanquam etsi Doctor Angelicus id docuisset, adhuc longissime a Manichæis abesset, qui partim bona, partim natura mala hominem constare affirmabant; malamque naturam illam, quod capitalissimum est, nos irresistibiliter ad peccandum necessitare censebant. Jam vero S. Thomas in 1. 2. *quæst.* 82. *artic* 1. Peccatum quidem originis, sed late sumptum, quatenus cum culpa pœnam etiam complectitur, habitum quemdam corruptum docet. At vero sequenti artic. 3. habitum ipsum corruptum bifariam dividit, in aversionem scilicet mentis a Deo, & in rebellionem inferioris partis. Docet aversionem illam animæ a Deo ipsum formale esse originalis peccati, idest, peccatum ipsum originale secundum se: rebellionem vero inferioris partis, *Quia inest illi*, ut loquitur Augustinus, *inobedientia contra dominantem mentis*, materiale esse originalis peccati.

Peccatum originale proprie sumptum, ex S. Thoma aliisque theologis, est aversio illa animæ a Deo, quæ actu fuit in Adam, & habitu dumtaxat est in Adæ posteris, statim ac generantur, ex eoque naturaliter propagantur.

In hac igitur aversione animæ a Deo, quæ actu fuit in primo homine, naturali & morali futurorum hominum capite divinitus constituto, quæque habitu inest in hominibus omnibus, simulac naturaliter generantur, ex eoque naturaliter propagantur, constituit peccatum originale Doctor Angelicus, & cum eo Bellarminus, aliique plurimi de Catholica Ecclesia Theologi. Jacturam enim originalis justitiæ, seu habitualis ab origine conversionis animæ ad Deum consecuta est habitualis aversio animæ a Deo in nobis omnibus Adæ posteris, quibus jure, ac merito imputatur peccatum primi parentis

parentis, cum quo, & in quo peccavimus moraliter omnes, tanquam in naturali atque morali omnium capite divinitus constituto. Frustra igitur Lutherani, verissimi Manichæorum successores, ut nos Manichæismo tinctos insimulent, obscurissimam nobis de peccato originali quæstionem obtrudunt, in qua tamen a christiana doctrina ipsi enormissime aberrant, Manichæosque se produnt. De fide est & existere, & progagari peccatum originale. Quid autem sit, & quomodo definiendum, qua via & ratione diffundatur, & propagetur, non est res fidei, sed theologicæ disputationis. Catholicæ Ecclesiæ doctrina de peccato originali Concilii Tridentini doctrina est, quam sancta Synodus omnibus profitendam proponit *ses. v. decret. de peccat. orig.* eamque in illis potissimum Apostolicis verbis inculcat *Rom.* 5. 12. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

LXXII. Postquam de originali peccato negotium exhibere nobis, tanquam accedentibus ad Manichæos Volfius frustra conatus est, iterum nos invadit de statu naturæ puræ, in quo nos Manichæismum sapere criminatur (1). *Annon*, inquit, *vere Scholastici, & hos secuti Pontificii, & Novatores in eo quoque ad Manichæorum partes accedant, quod confictis merorum naturalium statu, duo omnino in homine ponant principia, ex illis dijudicare facile licebit, quæ idem vir summus* (Calovius) tom. IV. System. *de statu integritatis*, quæst. 1. p. 467., *& in Harmonia Calixonhæret.* p. 217., *huic figmenta opposuit. Quanquam & illi Manichæis pejores videantur, quod hoc ipso Deum peccati faciant auctorem, cum hominem in illo merorum naturalium statu collocatum a Deo arbitrentur.* Volfius igitur cum gregali suo Calovio Manichæi-

Volfii, & Calovii calumnia altera de catholicorum Manichæismo.

Q

(1) Jo. Christoph. Volf. Manichæis. Ante Manich. sect. 2. p. 197.

nichæiſmum noſtris theologis exprobrat, quod hi docentes non repugnare puræ naturæ ſtatum, duo conſtituant contraria inter ſe principia: præterea quod in tali ſtatu faciant Deum auctorem peccati, quod ne Manichæi quidem auſi ſunt ſuſpicari. Jam vero duo hæc contraria principia in ſtatu naturæ puræ apud noſtros theologos talia ſunt, nimirum, appetitus hinc ſenſitivus fræno carens integritatis, ad voluptatem pronus, atque ad bonum delectans inclinans; illinc, præter naturalem rationem, naturalia auxilia divinitus ſuppeditata, quæ ad virtutem, bonumque honeſtum allicerent. At nullus omnino ex noſtris theologis unquam docuit futurum, ut, vel appetitus ſenſitivus, a fræno integritatis liber, ad vitium, & malefacta; vel naturalia illa auxilia, loco fræni divinitus ſuppeditata, ad virtutem, & benefacta puræ naturæ homines irreſiſtibiliter neceſſitarent. Talia portenta everſores arbitrii liberi olim Manichæi docuerunt, & modo docent conſentientes in eo Manichæis Lutherani, Calviniani, & Janſeniani. Itaque in hominibus naturæ puræ libertas ſalva perſiſteret, præſtoque ſemper eſſet poteſtas penitus libera tum conſentiendi, tum diſſentiendi & motibus ſenſitivi appetitus, ſi quando ad vitium, turpitudinemque allectarent; & naturalibus auxiliis, a Deo talis naturæ auctore ſupppeditatis, ad virtutem, honeſtatemque allicientibus. Quod ſi natura talis peccaret, nullo modo Deus auctor eſſet illius peccati. Nihil enim naturæ hujuſmodi tribuiſſet Deus, quod eam ad peccandum irreſiſtibiliter neceſſitaret; quinimo naturalia auxilia ſuppeditaſſet, quibus & infringere motus ſenſitivi appetitus, & abſtinere a peccato poſſet, ſi vellet. Ex his autem manifeſtum fit defenſores naturæ puræ abeſſe prorſus a Manichæis, ab hiſque diſtare longiſſime. Duo autem contraria inter ſe principia bonum unum, alterum malum, in hoc ſtatu naturæ lapſæ, quin Manichæus ſit, teſtatur Apoſtolus: quorum unum legem peccati, & carnis concupiſcentiam appellat; alte-

In ſtatu naturæ puræ nec appetitus ſenſitivus, fræno carens integritatis, ad peccandum; nec naturalis auxilia divinitus ſuppeditata ad bene vivendum homines neceſſitarent.

alterum legem mentis, & spiritus concupiscentiam nominat. Lex peccati, seu carnis concupiscentia ad vitium, ad malefacta, ad peccata, ad omne flagitium allectat. Contra vero lex mentis, seu concupiscentia spiritus ad virtutem, ad benefacta, ad actiones pias, & salutares, atque ad omnem allicit honestatem; sed citra omnem, quæ ad ea detrudat, irresistibilem nobis necessitatem.

LXXIII. Ut autem Volfius longè discedere a Manichæorum videatur errore, in quem tamen, ut supra vidimus, incidit, in capitalem alium incurrit errorem: dumque se vitare simulat Manichæam Carybdim, in Scyllam incidit Epicuream. Negat enim singulas humanas animas ex nihilo a Deo creari. Atqui si non creantur ex nihilo, vel partes materiæ sunt, vel ex materia educuntur. Spiritus ergo non sunt, sed ad genus materiæ pertinent. Ergo non immortales natura sunt, sed mortales. Sed Volfius ipse audiatur (1). *Animarum creationem, inquit, ut alia taceam, vel ideo negandam esse, ne ad Manichæorum castra vel inviti pertrahamur, cum nulla corruptionis animarum, si creatæ a Deo, & corporibus immissæ fuerint, causa reddi possit, nisi ea a Deo hujus auctore repetatur.* Inveterata etiam sibi calumniandi licentia, cum suo gregali Calovio, a materia peccati originem, cum antiquis hæreticis, maximè vero Manichæis, repetere nos catholicos criminatur (2). *Pontificios*, inquit, *cum Scholasticis suis, Marcionis, Hermogenis, & Manichæorum insistere vestigiis, dum e conditione materiæ peccati derivant originem.* Jam vero causam originalis corruptionis animæ non a materia, multoque minus a Deo, qui auctor materiæ est, catholici repetunt. Fieri enim non potest, ut materia, tanquam contagione quadam corrumpat spiritum, diversæ prorsus, & excellentioris naturæ. Corruptela igitur originali corrumpitur quidem anima in materia, idest,

Volfius temerè, & stultè negat humanas animas a Deo de novo creari, ne Manichæus fiat.

Volfii calumnia de Catholicis peccati originem a conditione materiæ derivantibus ostenditur, & confutatur.

(1) Jo. Christoph. Volf. Manichæis. ante Manich. sect. 3. p. 403.
(2) Idem ibidem sect. c. pag. 296.

ftatim atque creatur a Deo in materia; minime vero corrumpitur a materia. Aliud eft enim corrumpi in materia, aliud longe diverfum corrumpi a materia: ut in phyficis dicimus, infecta quidem generari in putri, minime vero generari ex putri. Deus autem nec in quantum animæ creator eft, nec in quantum materiæ auctor, nec in quantum conditor animæ in materia, caufa vel auctor eft originalis peccati. Bona eft enim natura animæ, bona materiæ natura eft, bona conjunctio animæ cum materia, quorum caufa & auctor eft Deus: contra vero mala funt originalia animæ vitia, mala originalia vitia materiæ, quorum nec caufa, nec auctor eft Deus; fed peccatum dumtaxat primi omnium parentis, qui per illam prævaricationis offenfam, ut loquitur Tridentinum *feff. 5. decret. de peccat. orig.*, Secundum corpus & animam in deterius commutatus, mortem, & pœnas corporis, & peccatum, quod mors eft animæ, in homines omnes transfudit, dicente Apoftolo (1): *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertranfiit, in quo omnes peccaverunt.*

LXXIV. Fuit igitur Adam, & nos in ipfo, tanquam in omnium capite & naturali, & morali, fuimus omnes. Talem enim juftiffimo judicio fuo conftituit Deus hominem primum, ut fi Deo præcipienti obtemperaret, ejus obedientia omnibus ex eo naturaliter exorituris hominibus ad meritum tribueretur, & præmium: contra vero fi præceptum Dei violaret, ejus prævaricatio omnibus ex eo naturaliter nafcituris hominibus, ad culpam adfcriberetur, atque fupplicium. Atqui peccavit Adam, prævaricatus eft, præceptum Dei violavit. In Adam igitur peccavimus omnes, fumus in eo omnes prævaricati; præceptum Dei in Adam violavimus omnes, qui ex eo per naturalem propagationem exorti fumus,

(1) Rom. 5. 12.

ſumus. Hæc Auguſtinus animadvertens (1), *Secundum*, inquit, *illa nimis occulta, & multum valentia naturalia jura propaginis, conſequens erat, ut, qui erant in lumbis Adæ per concupiſcentiam carnis* (ideſt naturaliter) *venturi in hoc ſæculum, ſimul damnarentur*. In hac autem originalis peccati qualicumque expoſitione non apparet profecto, nec auctor peccati Deus, nec peccati cauſa materia, de quibus falſo nos crimine calumniatur Volſius. Rei maxime abſtruſæ, penituſque reconditæ exemplum peto ex ſimilitudine Lunaris Ecclypſis, ſeu defectionis. quanquam non aptum omnino, nec ad normam prorſus conveniens, quamvis nec prorſus tamen ineptum. Quemadmodum enim Luna, in ſui defectione, & Ecclypſi, telluris umbram ingreditur, nigricantem maculam induit, atroque colore inquinata conſpicitur, atque a Sole averſa candore caret Solaris lucis; contra vero ſtatimatque ab umbra telluris emergit, in qua erat demerſa, colorem atrum deponit, nigricantem maculam exuit, atque ad Solem converſa, candida ſplendet candore Solaris lucis perfuſa; ſic ſtatimatque in humano fœtu ad ejus exigentiam creatur anima, umbram, ut ita dicam, peccati primi parentis ingreditur, a Deo juſtitiæ Sole eſt averſa, originalis peccati macula inficitur, & luce caret Divinæ gratiæ: ubi vero Chriſti baptiſmo abluitur, ab umbra emergit peccati primi parentis, macula abſtergitur originalis peccati, atque ad Deum juſtitiæ Solem converſa, candorem induit irradiantis gratiæ. Præterea, quemadmodum, nec Sol, nec Ether, in quo Luna innatat, & continetur, cauſa eſt defectionis Lunaris, ſed oppoſitio atque averſio telluris a Sole, in cujus telluris umbram incurrit Luna curſu ſuo naturali; ſic nec Deus juſtitiæ Sol, nec materia, in qua creatur anima, cauſa eſt originalis peccati, ſed oppoſitio atque averſio voluntatis omnium arbitræ a Deo, qualis.

Quomodo peccatum originale contrahatur, & deleatur ſimilitudine non prorſus inepta explicatur.

(1) Aug. lib. 6. Oper. Imperf. ſub num. 22. tom. 10.

lis voluntas fuit primi parentis, in cujus, ut ita dicam, peccati umbram, per universum mundum diffusam, omnis, quæ de novo creatur anima, naturali cursu humanæ propagationis incurrit.

CAPUT XV.

De *Calvinianis Manichæorum successoribus*.

Calviniani Manichæorum successores in constituendis principiis necessitantibus, & in negando libero arbitrio.

LXXV. CUM res sit explicata satis, atque perspicua, Calvinianos veros ac genuinos esse in capitalissimo errore successores Manichæorum, ceteris prætermissis, uno omnium Magistro, ac Duce Calvino contenti erimus. Convenit enim consensione summa Calvinus cum Manichæis, tum in eo quod prædominentur homini principia quædam, quæ hinc ad peccandum, illinc ad pie vivendum irresistibiliter eum necessitent; tum in eo quod nullum sit, ut oportet, liberum humanæ voluntatis arbitrium. Exordior a principiis extrinsecis, ad intrinseca mox progrediar, tandem in humanæ libertatis excidio, atque interitu conquiescam. Quod ad principia nobis extrinseca pertinet, talem constituit prædestinationem Calvinus, ut prædestinatio ad vitam, ad pie vivendum, æternamque salutem consequendam; contra vero prædestinatio ad mortem, ad peccandum, sempiternumque supplicium subeundum irresistibiliter nos necessitent (1): *Prædestinationem*, inquit, *vocamus æternum Dei decretum, quo apud se constitutum habuit, quid de unoquoque homine fieri vellet. Non enim pari conditione creantur omnes; sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem quisque conditus est, ita vel ad vitam, vel ad mortem prædestinatum dicimus*. Et iterum (2): *Dicimus æterno, & immutabili consilio Deum semel constituisse quos olim assumere vel-*

(1) Jo. Calvin. lib.3. Institut. cap.21. num.5. edit. Genev. an. 1592. (2) Idem ibidem num.7.

re vellet in salutem, quos rursum in exitium devovere. Hoc consilium quoad Electos in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu: quos verò damnationi addicit, his, justo quidem, & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius judicio, vitæ aditum præcludi. Præterea (1): *Si non possumus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniam ita illi placet; neque etiam in aliis reprobandis aliud habebimus quam ejus voluntatem. Cum enim dicitur Deus, vel indurare, vel misericordia prosequi quem voluerit, eo admoneantur homines, nihil causæ quærere præter ejus voluntatem.* De voluntate autem Dei prædestinante, & reprobante, de qua eo loco tractat, hæc sunt, quæ constituit (2): *Non dubitabo cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod illa constituit.* Docet ergo Calvinus, nullo prorsus respectu habito nec ad mala vel originalia, vel personalia, nec ad bona justorum merita, quæ prorsus rejicit, Deum voluntate sua non modo absoluta & efficaci, sed prorsus necessitante ex omni genere hominum aliis æternam vitam, aliis æternam mortem, damnationemque decernere, nec id alia ulla de causa, nisi quod ei sic placet. Itaque ad assequendum hunc finem alios creare, ut in damnationem irresistibiliter abeant; alios vero, ut irresistibiliter ad vitam æternam discedant. Hinc ad eumdem finem, eademque voluntate necessitante Prædestinatos ad mortem excœcare, atque obdurare; Prædestinatis ad vitam misericordiam præbere. Ex his autem, Calvino auctore, consequitur ad pietatem & benefacta prædestinatos; contra vero ad impietatem atque flagitia reprobos irresistibiliter necessitari.

Calvinus geminam prædestinationem ex mero Dei beneplacito docet; alteram ad benefacta, & ad salutem; alteram ad malefacta, & ad perditionem hominés necessitantem.

LXXVI. Peccandi necessitatem in reprobis prædestinatis ad mortem: quemadmodum pie vivendi in electis prædestinatis ad vitam apertissimè profitetur

(1) Jo. Calvin. lib. 3. Institut. cap. 22. num. 11.
(2) Idem ibidem cap. 23. num. 8.

tetur Calvinus; sed eam nullam absurditatem continere absurditate nova contendit, tum quia ad flagitia reprobos necessitando sua constat æquitas voluntati Divinæ, quamvis nobis occulta, & ignota; tum quia necessarium reproborum exitium in Dei gloriam redundat. Hæc enim sunt, quæ respondet catholicis, quos profanus ipse profanos appellat, absurditatem impiæ sententiæ suæ sibi objicientibus (1): *Sic ergo profanæ linguæ obganniunt: Cur ea vitio Deus imputaret hominibus, quorum necessitatem sua Prædestinatione imposuit? Quid enim facerent? An cum decretis ejus luctarentur? At frustra id facturi sint, cum omnino facere non possint. Non ergo jure ob ea puniuntur, quorum præcipue in Dei Prædestinatione causa est.....* Ad hæc Calvinus. *Videamus, quomodo ritè nodus expediri debeat. Primum omnium constare inter omnes debet, quod ait* (Prov. 16. 4.) *Salomon*: Deum omnia propter semetipsum condidisse, impium quoque ad diem malum. *Ecce cum rerum omnium dispositio in manu Dei sit, cum penes ipsum resideat salutis, ac mortis arbitrium, consilio nutuque suo ita ordinat, ut inter homines nascantur* (o vox impia, & sacrilega!) *ab utero certæ morti devoti, qui sui exitio ipsius nomen glorificent.* Et iterum alio loco (2): *Excusabiles peccando haberi volunt reprobi, quia evadere nequeant peccandi necessitatem; præsertim cum ex Dei ordinatione sibi injiciatur ista necessitas. Nos vero inde negamus ritè excusari, quandoquidem Dei ordinationi, qua se exitio destinatos conqueruntur, sua constet æquitas, nobis quidem incognita, sed illa certissima.* Et rursum de reprobis in peccandi necessitatem Dei Prædestinatione detrusis hæc habet (3): *Ideo in hanc pravitatem addictos, quia justo, sed inscrutabili Dei judicio suscitati sunt ad gloriam ejus sua damnatione illustrandam.* Ad arcanum igitur con-

Calvini blasphemiæ de Deo, ex mero suo beneplacito, homines ad malefacta, & ad sempiterna supplicia antecedenter prædestinante.

(1) Jo. Calvin. lib. 3. Institut. cap. 23. num. 6.
(2) Idem ibidem num. 9.
(3) Idem ibidem cap. 24. num. 14.

consilium Dei, ad arbitram supremi Domini voluntatem, ad gloriam Divinæ justitiæ illustrandam revocat reprobationem Calvinus, qua Deus, ut docet, ad teterrima quæque flagitia, sempiternumque supplicium subeundum reprobos antecedenter necessitat. Præscientiam vero Dei, qua Patres atque Theologi utpote prævıam decretum ad pœnam dumtaxat prædestinans, tum Dei sanctitatem, justitiam, & bonitatem, tum hominis libertatem salvam incolumemque servant, Calvinus subsequentem vult Dei decretum, quo præcedente, non modo pœnam, sed etiam culpam irresistibiliter decernat Deus. Harum impietatum, quibus aures perhorrescunt piæ, Calvinum ipsum testem produco (1): *Quos*, inquit, *Deus præterit, reprobat: neque alia de causa, nisi quod ab hæreditate, quam Filiis suis prædestinat, illos vult excludere..... Minimè tamen consentaneum est, præparationem ad interitum aliò transferre, quam ad arcanum consilium Dei*. Horrorem vero sententiæ suæ non dissimulans (2): *Decretum*, inquit, *horribile fateor: inficiari tamen nemo poterit quin præscierit Deus, quem exitum esset habiturus homo, ante quam ipsum conderet; & ideo præscierit, quia decreto suo sic ordinarat*.

LXXVII. Ut autem obtineat Deus suæ prædestinationis effectum, qualem prædestinationem cum veteribus Prædestinatianis Calvinus constituit, in peccandi necessitatem, Calvino auctore, Prædestinatos ad mortem detrudit Deus; quemadmodum in bene agendi necessitatem prædestinatos ad vitam. Hinc, auctore eodem, ad hunc finem, ut peccent, & pereant Deus prædestinatos ad mortem, non modo necessario ad bene vivendum lumine privat, sed etiam ad eumdem finem excæcat, obdurat, stupidos facit, amentes, & insanabiles; atque in eum statum conjicit, in quo non possint, nisi pec-

R cando

(1) Jo. Calvin. lib. 3. Institut. cap. 23. num. 1.
(2) Idem ibidem num. 7.

Calvini blasphemiæ de Deo deserente, excæcante, & obdurante reprobos, ad hunc finem, ut peccent, & pereant.

cando in Dei odium incurrere. Hæc enim impia, & sacrilega Calvini dicta sunt (1): *Prædestinationi suæ viam facit summus ille arbiter, ubi quos semel reprobavit, lucis suæ communicatione orbatos deserit in cæcitate.* Item (2): *Quos Deus in vitæ contumeliam, & mortis exitium creavit, ut iræ suæ organa forent, & severitatis exempla eos, ut in finem suum perveniant, nunc audiendi verbi sui facultate privat, nunc ejus prædicatione magis excæcat, & obstupefacit.* Rursum (3): *Ecce vocem ad eos dirigit, sed ut magis obsurdescant: lumen accendit, sed ut reddantur cæciores: doctrinam profert, sed qua magis obstupescant: remedium adhibet, sed ne sanentur.* Ad extremum concludit (4). *Salvum manet, quod docet, reprobos Deo exosos esse, & quidem optimo jure; quia ejus Spiritu destituti, nihil proferre queunt, quam maledictionis causam.*

LXXVIII. Quin etiam longius Calvinus progreditur. Una enim eademque omnes & Angelos, atque homines, nec excepto quidem homine integro, necessitatis Prædestinationis lege comprehendit. Perseverantiam enim bonorum Angelorum, malorumque infidelitatem non libero eorum arbitrio cum Augustino, sed divinæ dumtaxat prædestinationi ad perseverantiam bonos, ad infidelitatem malos necessitanti Calvinus attribuit: nec aliam causam reprobationis horum præ aliis Angelorum adduci posse contendit, præter arcanum, reconditumque consilium Dei, hos potius, quam illos Angelos ex sola suprema sua potestate reprobare volentis (5). *Angelos*, inquit, *qui steterunt in sua integritate Paulus electos vocat. Si eorum constantia in Dei beneplacito fundata fuit, aliorum defectio arguit fuisse derelictos. Cujus rei causa non potest alia* addu-

Calvini blasphemiæ de Deo ex mero suo beneplacito alios Angelos ad fidelitatem, ad infidelitatem alios irresistibiliter prædestinante.

(1) In. Calvin. lib. 3. Instit. cap. 24. num. 14.
(2) Idem ibidem num. 12.
(3) Idem ibidem num. 13.
(4) Idem ibidem num. 17.
(5) Idem ibidem cap. 23. num. 4.

adduci, quam reprobatio, quam in arcano Dei consilio absconditu est. Peccatum vero primi hominis adhuc integri auctori Deo incredibili prorsus impietate attribuit, quod expedire censuerit Deus, ut in peccatum rueret primus homo. Cur autem ita censuerit nos, ut inquit, latet. Certum tamen esse affirmat, censuisse Deum, expedire ut homo primus peccaret, quia noverat peccatum primi hominis ad illustrandam Divini nominis gloriam jure, meritoque conferre. Ecce Calvini verba (1): *Lapsus est primus homo, quia Dominus ita expedire censuerat. Cur censuerit, nos latet. Certum tamen est non aliter censuisse, nisi quia videbat nominis sui gloriam inde merito illustrari*. Postremo ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus voluntatis causa recondita penitus in ipso est, omnium filiorum Adæ miserias, quarum calamitatum maximæ scelera, flagitia, & peccata sunt, audet revocare, tanquam ad fontem malorum omnium Calvinus (2). *Fateor*, inquit, *in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse omnes filios Adæ. Atque id est, quod principio dicebam, redeundum tamen semper esse ad solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus causa sit in ipso abscondita*. Hæc Calvinus cum discipulis suis de duplici prædestinatione Dei, altera ad bona omnia, altera ad omnia mala nos irresistibiliter necessitante. Quo est execrabilior Calvinianorum, quam Manichæorum impietas, qui non æternam quamdam naturam malam, non Deum malum, non Diabolum, ut Manichæi; sed Deum nostrum, Optimum, Maximum, verum, solum, & summum bonum flagitiorum, scelerumque omnium facinnt auctorem.

Calvini blasphemiæ de Deo, ex mero suo beneplacito, primum hominem ad peccandum, ejusque posteros ad omnia mala illinc exorta irresistibiliter necessitante.

Calviniani Manichæis multo execrabiliores.

LXXIX. Hactenus de principiis extrinsecis, quibus, auctore Calvino, ad bene, & male agendum irresistibili necessitate compellimur: nunc autem, auctore eodem, de principiis intrinsecis agendum

 est,

(1) Jo. Calvin. lib.3. Institut. num.8.
(2) Idem ibidem num.4.

est. Duo inhærere nobis principia intrinseca, quæ nos ad bene, & male agendum irresistibili necessitate perducunt Calvinus docet. hinc, scilicet, hæreditariam naturæ nostræ depravationem & corruptelam, illinc vero Dei gratiam suapte natura efficacem. De hereditaria naturæ nostræ vitiositate, & libidine hæc sunt, quæ Calvinus absurdissimè disputat (1). *Porro quod libertate abdicatam voluntatem dico necessitate in malum vel trahi, vel duci, mirum est si cui videatur aspera locutio, quæ nec absonum habet quidquam, nec a Sanctorum usu aliena est. Offendis autem eos, qui inter necessitatem, & coactionem distinguere nesciunt .... Si liberam Dei voluntatem in bene agendo non impedit, quod necesse est illum bene agere; si diabolus, qui nonnisi male agere potest, voluntate tamen peccat; quis hominem ideo minus voluntariè peccare dicet, quod sit peccandi necessitati obnoxius? .... Hæc igitur distinctionis summa observetur, hominem, ut vitiatus est ex lapsu, volentem quidem peccare, non invitum, nec coactum: affectione animi propensissima, non violenta coactione: propria libidinis motu, non extraria coactione: qua tamen est naturæ pravitate non posse nisi ad malum moveri, & agi. Quod si verum est, peccandi certè necessitati subjacere non obscurè exprimitur .... Hinc certè agnoscunt lectores, nihil me novum afferre, quod olim ex piorum omnium consensu prodidit Augustinus, & mille fere annis postea in claustris Monachorum retentum fuit. Lombardus autem cum necessitatem a coactione distinguere nesciret, pernicioso errori materiam dedit.* Hactenus Calvinus & hæreticus, & calumniator, & mendax. Universam hanc perquam absurdam doctrinam de coactione, a qua liber est; & de necessitate simplici, & non coacta, cui mancipatus est homo lapsus, mutuatus est a Calvino Jansenius, novus & ipse Manichæus, de quo loco suo differemus. Docet ergo Calvinus contumacem, effrænatamque cupiditatem, atque libi-

Calvinus docet sub hereditaria cupiditate mala hominem necessario peccare, non quidem necessitate coactionis, quæ pugnat cum voluntario, sed simplici necessitate, quæ cum voluntario componitur.

Jansenius cum Calvino hoc loco perfectissimè consonat.

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 5.

libidinem, naturæ nostræ vitiositatem atque depravationem, quæ intrinsecè nobis inhærent, & pœna sunt originalis peccati, irresistibilem nobis esse peccandi necessitatem, quin ullam nobis inferat coactionem violentam; quoniam non inviti, neque coacti; sed volentes, libentesque peccamus. His autem datis, omnis sublata meriti ratio est, quod proprium est solius viatoris hominis, atque Angeli. Non ultra progredior, quoniam non hic impugno, sed narro.

LXXX. Eandem incudem de intrinseca nobis atque irresistibili necessitate peccandi, citra tamen omnem violentam coactionem frequentissimè tundit Calvinus. Pauca quædam exempla profero, longe pluribus prætermissis (1): *Imperio*, enim inquit, *diaboli, quo animulis hominis voluntas dicitur subjacere, ut inde agitetur, non significat ipsum reluctantem, ne restitantem ad obsequia adigi, quemadmodum invita mancipia obire jussa nostra domini jure cogimus; sed Satanæ præstigiis fascinatum illi se ad omnem ductum obsequentem necessario præbere*. Atqui vis, & actio fascini intrinseca est, qua homines ita ligantur, ut liberi non sint. Et iterum (2): *Distinctio inter coactionem, & necessitatem posita fuit, unde liqueret hominem dum necessario peccat, nihilo tamen minus voluntariè peccare*. Præterea (3): *Nego*, inquit, *peccatum ideo minus debere imputari, quod necessarium est: nego rursum consequi, quod inferunt, evitabile esse, quia voluntarium est*. Docet hic Calvinus, Peccatum quidem voluntarium esse, necessarium tamen, atque inevitabile, & simul homini, intrinseca atque irresistibili necessitate ad peccandum adacto, ad pœnæ meritum imputabile. Postremo concludit (4): *Stet ergo nobis indubia ista veritas, quæ nullis machinamentis quatefieri potest*.

Calvinus docet peccatum esse & voluntarium, & necessitate irresistibili necessarium: inevitabile, & simul ad culpæ, & pœnæ meritum imputabile.

Men-

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 4. num. 1.
(2) Idem omnino ibidem.
(3) Idem ibidem cap. 5. num. 2.
(4) Idem ibidem num. 19.

Calvinum exaggerat miserrimum naturæ lapsæ statum, ut suadeat hominem sibi relictum in omnibus suis actionibus necessario peccare.

Mentem hominis sic alienatam prorsus a Dei justitia, ut nihil non impium, contortum, fœdum, impurum, flagitiosum concipiat, concupiscat, moliatur: cor peccati veneno ita penitus delibutum, ut nihil quam corruptum fœtorem efflare nequeat. Quod si quippiam interdum boni in speciem ostentat, mentem tamen semper hypocrisi, & fallaci obliquitate involutam, animam interiori perversitate illigatam manere. Exaggerat hic Calvinus, ut nostræ ætatis ceteri hæretici, corruptelam originalis peccati, quo suadere contendit, hominem sibi relictum, in omnibus suis actionibus, quamvis de se honestissimis, necessario peccare.

Calvinus docet efficacem Dei gratiam nos irresistibiliter ad assensum necessitare; nec in potestate nostra esse ejusmodi gratiæ resistere, vel obtemperare.

LXXXI. Quod pertinet ad efficacem Dei gratiam, quæ, auctore Calvino, alterum principium intrinsecum nobis est, superiori contrarium, irresistibiliter nos necessitans ad actiones honestas & salutares, hæc sunt quæ de hujusmodi gratia Calvinus constituit (1): *Voluntatem movet, non qualiter multis sæculis traditum est & creditum, ut nostræ postea sit electionis motioni aut obtemperare, aut refragari; sed illam efficaciter afficiendo.* Et iterum de theologis omnibus præteritorum temporum (2), *Putabant*, inquit, *in manu nostra esse respuere, vel accipere oblatam Dei gratiam: hac opinione explosa, ille quoque* (error de libera perseverantia) *sponte sua corruit.* Hunc autem errorem suum de gratia intrinsecus necessitante non veretur Calvinus Augustino tribuere, de quo hæc habet (3). *Tractat* (Augustinus) *copiosius, quomodo corda nostra Dei afficientis necessario sequantur motum . . . Habemus Augustini ore testatum, quod in primis obtinere volumus, non offerri tantum a Domino gratiam, quæ libero cujusque electione, aut accipiatur, aut respuatur; sed ipsam esse, quæ in corde & electionem, & voluntatem formet.* Et rursum de ejusdem Augustini sententia hæc interpretatur Cal-

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 10.
(2) Idem ibidem num. 11.
(3) Idem ibidem num. 13.

Calvinus (1): *Quod autem alibi* (Augustinus) *dicit, Non tolli gratia voluntatem, sed ex malo mutari in bonum; & cum bona fuerit, adjuvari: significat tantum, hominem non ita trahi, ut sine motu cordis, quasi extraneo impulsu feratur; sed intus sic affici, ut ex corde obsequatur.* Præterea (2): *Neque secus accipi sententia Christi potest, Omnis qui audivit a Patre meo venit ad me, quam ut efficacem* A SEIPSA *Dei gratiam doceat.* Tandem sic in errorem suum aliud apud Joannem Christi Domini testimonium interpretatur (3), *Ipsum audi vocantem, Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum: Et citra controversiam elicitur ex Joannis verbis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu sequantur.* Profecto si in potestate nostra non est Dei gratiæ resistere, vel obtemperare, eique assentiri, vel dissentiri, hujusmodi gratia est ita efficax, ut irresistibiliter nos ad assensum necessitet. Errorem hunc jamdudum docuit Calvinus, quem a Calvino acceptum iterum instauravit Jansenius, cujus hæc est pars altera quartæ ipsius damnatæ propositionis, *In hoc* (Semipelagiani) *errant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Ut autem obtineret Calvinus efficacem Dei gratiam irresistibilem nobis esse ad assensum necessitatem, A SEIPSA EFFICACEM nominavit, qua appellatione nova, gratiam irresistibiliter necessitantem malitiosè introducere molitus est. At longe absunt ab errore Calvini Theologi illi, qui gratiam a seipsa efficacem tuentur. Calvinus enim nomine gratiæ a seipsa efficacis non aliam intelligebat gratiam, nisi antecedenter necessitantem, quæ libertatem indifferentiæ excludit, solaque cum libertate a coactione cohæret. Contra vero memorati theologi nomine gratiæ a seipsa efficacis gratiam intelligunt, non quidem ante-

Jansenii sententia de gratia efficaci nos irresistibiliter ad assensum necessitante, eadem omnino est, ac sententia Calvini.

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 3. num. 14.
(2) Idem ibidem num. 10.
(3) Idem omnino ibidem.

antecedenter necessitantem, nec libertatem indifferentiæ evertentem; sed quæ a seipsa quidem infallibiliter, secus autem irresistibiliter obtinet effectum suum. De modo autem, quo apud eos gratia a seipsa efficax conciliatur cum libertatis indifferentia, ipsi sunt consulendi. Hac de causa verba illa insignita proposui, nequis imprudens in ea incurrens, sententiam scholasticam cum Calviniana sententia confunderet.

LXXXII. Consequenter ad superiora duo contraria principia nobis intrinseca, ad bene, & male agendum nos irresistibiliter necessitantia, libertatem a necessitate negat, solamque libertatem hominis a coactione affirmat. Itaque ad trutinam revocans quæstionem de Libertate, qualis in theologorum scholis tractari solet, hoc profert de ea judicium (1): *Obtinuit*, inquit, *in scholis distinctio, quæ triplicem libertatem numerat, a necessitate primam, secundam a peccato, tertiam a miseria: quarum prima sic homini naturaliter inhæreat, ut nequeat ullo modo eripi; duæ alteræ per peccatum sint amissæ. Hanc distinctionem ego libenter recipio, nisi quod illic necessitas cum coactione perperam confunditur.* Secernens ergo Calvinus unam ab altera libertate, a coactione scilicet, & a necessitate, libertatem quidem a coactione in nobis fatetur, & hanc inhærere homini naturaliter ultro concedit: contra vero libertatem a necessitate omnino repudiat. Item mentem suam clarius aperiens hæc habet (2): *Liberi ergo arbitrii hoc modo dicetur homo, non quia liberam habeat boni æque, ac mali electionem; sed quia male voluntate agit, non coactione.* Magnam vero cautionem adhibendam esse Calvinus monet in usurpando vocabulo arbitrii liberi, nequis ea voce arbitretur, hominem voluntatis suæ dominum esse, atque in potestate sua esse positum se in utramque partem, in bonum scilicet

Calvinus libertatem a simplici necessitate, seu indifferentiæ negat, solamque in nobis admittit libertatem a coactione.

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 2. num. 5.
(2) Idem ibidem num. 7.

licet & in malum inflectere (1): *Quotus autem*, inquit, *quisque est, qui dum assignari homini arbitrium liberum audit, non statim concipit illum esse & mentis suæ, & voluntatis dominum, qui flectere se in utramvis partem a seipso possit?* Quin etiam ad evitandum tale periculum, si se auctorem adhibeant, vocabulum arbitrii liberi tollendum omnino censet, nimirum nequis existimet ea voce non modo libertatem a coactione, verum etiam quæ a necessitate dicitur prædicari (2): *Siquis*, inquit, *vocis hujus* (Libertatis, & Liberi Arbitrii) *usum non prava intelligentia sibi permittat, per me quidem non vexabitur ob eam rem; sed quia sine ingenti periculo non posse retineri censeo, magno contra Ecclesiæ bono futurum, si aboleatur; neque ipse usurpare velim, & alios, si me consulant, abstinere optarim.* Quoniam vero libertas a necessitate, seu liberum a necessitate arbitrium disjungi omnino non potest a libera boni, malique electione, a propriæ voluntatis dominio, a libera suipsius potestate, ab ingenita unicuique vi se in utramque boni malique partem flectendi, hæc omnia, quin nomen ipsum arbitrii liberi pro hoc statu naturæ lapsæ Calvinus rejicit, atque repudiat. Hinc antiquos Philosophos, hinc Latinos, Græcosque Patres, hinc Theologos fere omnes libertatis humanæ vindices, & defensores Calvinus reprehendit, atque redarguit. Hæc enim habet de antiquis Philosophis (3): *Principium illud tenebant non fore hominem rationale animal, nisi inesset libera boni & mali electio. Veniebat etiam illis in mentem, alioqui tolli discrimen inter virtutes & vitia, nisi propria consilio vitam homo institueret. Probè quidem hactenus, si nulla fuisset in homine mutatio, quæ dum ipsos latuit, nihil mirum si cœlum terræ misceant.* Mox continuò de theologis omnibus Ecclesiæ Catholicæ, quos Pelagianos, & Papistas appellat, hæc addit: *Qui*

Calvinus antiquos Philosophos, Græcos Latinosque Patres, catholicosque theologos, quod libertatem indifferentiæ per hoc naturæ statu docuerint, vituperat, & reprehendit,

S

(1) Jo. Calvin. lib.2. Institut. cap.2. num 7.
(2) Idem ibidem num. 8.
(3) Idem lib.1. Institut. cap.15. num.8.

Qui vero se Christi discipuli esse professi in homine perdito, & in spirituale exitium demerso liberum arbitrium adhuc quærunt, inter philosophorum placita, & cælestem doctrinam partiendo, plane desipiunt, ut nec cælum, nec terram attingant. Nec minus Græcis, Latinisque Patribus, quod verè liberum humanæ voluntatis arbitrium doceant, Calvinus parcit, de quibus tale judicium profert (1): *Quasi adhuc integer staret homo, semper apud Latinos liberi arbitrii nomen extitit. Græcos vero non puduit multo arrogantius usurpare vocabulum. Siquidem* αὐτεξούσιον *dixerunt, ac si potestas sui ipsius penes hominem fuisset.* Ex hactenus narratis, & disputatis perspicuum exploratumque fit, Calvinianos, omnium duce, ac magistro Calvino, cui in statuendo principio duplici irresistibiliter hominem ad bonum malumque agendum necessitante, & in evertendo funditus humanæ voluntatis arbitrio discipuli omnes consentiunt, veros, genuinos, atque germanos esse successores Manichæorum.

Calvinus nec Manichæorum errorem de duplici contrario principio nos irresistibiliter necessitante, nec de eversione libertatis indifferentiæ, unquam, & uspiam confutat, sed ubique potius, & semper confirmat, atque corroborat.

LXXXIII. Dixerit fortasse quispiam Calvinum in quatuor Institutionis suæ libris sæpenumero Manichæorum errores confutare. Fateor. At quos errores, & quales? Num de duplici principio irresistibiliter necessitante? Num de everso funditus libero humanæ voluntatis arbitrio? Nihil profecto minus. Hos enim Manichæorum errores non modo Calvinus arripuit, sed aluit, nutrivit, corroboravit. Errores ergo Manichæorum quos Calvinus rejicit sunt de diabolo æterno principio malo, naturarum malarum conditore, & fere paris cum Deo potestatis: de anima humana, quod particula Dei sit, in hominis corpus delapsa. De aereo Christi Domini corpore. De carne hominis, ut reliquorum animantium, quod mala naturaliter sit, atque idcirco in extremo mundi exitio ad vitam minime revocanda. In insectandis dumtaxat hujusmodi Manichæorum ineptiis interdum occupatur Cal-

(1) Jo. Calvin. lib. 2. Institut. cap. 2. num. 5.

Calvinus. Audiatur (1): *Hinc*, inquit, *concidit Manichæorum error, qui duo principia statuendo, Diabolum ferè Deo parem fecerunt*. Item (2): *Emersit etiam Manichæus cum sua secta, qui sibi duo principia fabricavit, Deum & Diabolum, ac Deo quidem tribuebat bonarum rerum originem; malas autem naturas ad Diabolum auctorem referebat*. Rursum (3): *Evanescit stultum Manichæorum figmentum, qui cum substantialem in homine malitiam imaginarentur, alterum illi conditorem assignare ausi sunt, ne justo Deo viderentur mali causam, & principium assignare*. Iterum (4) *Manichæorum deliria occurrere necesse est, quod rursus hac ætate invehere tentavit Servetus. Quod dicitur inspirasse Deus in faciem hominis spiraculum vitæ, putarunt animam traducem esse Dei, quasi aliqua immensæ divinitatis portio in hominem fluxisset.* Præterea (5): *Humanæ* (in Christo) *naturæ veritas olim tam a Manichæis, quam a Marcionitis impugnata est: quorum hi quidem spectrum pro Christi corpore sibi fingebant, illi autem cælesti carne præditum somniabant..... Manichæus aereum fabricatur corpus, quia vocetur Christus secundus Adam de cælo cælestis*. Denique (6): *At Manichæorum quidem perquam futilis ratio fuit, minimè consentaneum esse, ut caro, quæ immunda esset resurgat. . . , . . Nam illud delirium, quod naturaliter immunda esset caro, nunc prætereo*.

(1) Jo. Calvin. lib 1. Institut. cap. 13. num, 2.
(2) Idem ibidem cap. 14. num 3.
(3) Idem ibidem lib. 2. cap 1. num. 11.
(4) Idem ibidem lib. 1. cap 15. num. 5.
(5) Idem ibidem lib. 2. cap 13. nu . 1. & 2.
(6) Idem ibidem lib. 3. cap. 25. num. 7.

CAPUT XVI.

De Jansenianis Manichaeorum successoribus.

Janseniani Manichaeorum Successores.

LXXXIV. Docet Jansenius, cui discipuli omnes Janseniani consentiunt, duabus permoveri nos adversis, contrariisque affectionibus: quarum una delectatio cœlestis, caritas, & gratia medicinalis ab eo dicitur, quam nobis adtulit Christus Dominus; altera vero delectatio terrena, cupiditas, morbus, & ægritudo animæ, quam peccando intulit nobis Adam. Neutra est in potestate nostra, sed utraque involuntaria nobis, & indeliberata est. Neque enim eas habere, vel non habere nostro possumus arbitratu. Audiatur Jansenius (1). *Delectationem*, inquit, *quæ consensum in peccatu præcedit, & suggestionem sequitur, non aliud esse nisi desiderium illicitum, indeliberatum, quo animus etiam repugnans in peccatum inhiat, vel certe primum ipsum concupiscentiæ motum, tanquam amorem quemdam indeliberatum, per quem homini etiam invito peccare lubet, quamvis consensus non sequatur* (2). Item, *Voluntas*, inquit, *per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est, ex quibus fit, ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosa præeunte, ac titillante provocetur, cui consentiendo peccat*. Præterea, in quo clarius apparere incipit deformitas Jansenianæ doctrinæ (3). *Pondus*, inquit, *quo* (voluntas) *nunc premitur, ac delectabiliter, imo insuperabiliter, gratia absente, ad peccandum trahitur, non isti facultati ex creatione* Dei; *sed ex supplicio* (primæ) *malæ voluntatis accessit* ... *Itaque Sanctus Augustinus hujusmodi peccata, quæ ex ista contracta peccandi necessitate contingunt, semper*

vera

(1) Jansen. lib. 4. de Grat. Christi cap. 15. pag. 186. col. 2. lit A. edit. Rothomag. 1652. (2) Idem ibidem cap 9. p. 183. col. 1. lit. B. (3) Idem lib. 8. de Grat. Christi cap. 20. p. 369. col. 1. lit. D.

vera peccata esse profitetur, quamvis ea voluntas ita constituta vitare non possit. De cœlesti autem delectatione hæc Jansenius præmittit (1): *Delectatio ista, quam ad omnia opera bona Sanctus Augustinus exercenda postulat, non est aliud quam actus quidam indeliberatus cælitus immissus in voluntatem.* Præterea (2), *Delectatio*, inquit, *illa cælestis victrix est medicina ægrotæ ac prostratæ, non adjutorium sanæ stantisque voluntatis.* Postremo de utraque delectatione contraria hanc sententiam pronuntiat (3): *Justitiæ, vel peccati delectatio est illud vinculum, quo liberum arbitrium in justitia, vel peccato ita firmiter ligatur, & retinetur, ut quandiu isto stabiliter possidetur, & constringitur, actus oppositus sit extra ejus potestatem, ita videlicet, ut arbitrium* (tali vinculo) *non liberatum, eam* (actum oppositum) *velle non possit.*

Jansenius docet indeliberatam peccati delectationem, ad peccandum; & indeliberatã delectationem justitiæ opus ad juste vivendum irresistibiliter necessitare.

LXXXV. Docet præterea Jansenius perpetua atque intestina pugna, lucta, & conflictu inter se decertare inclusam penitus in animis nostris delectationem utramque, natura sua bonam unam, itemque natura sua alteram malam, ut unaquæque earum voluntate nostra potiatur, ejusque assensum, tanquam victoriæ suæ palmam, & prædam, auferat, & secum pertrahat: quod non contingit nisi delectationi illi, quæ majoribus freta viribus adversariam suam superaverit. Ex hac autem confligentium mutuo contrariarum delectationum victoria pendet christiani hominis, instar fere spectatoris otiosi, cum honesta, tum flagitiosa vita (4). *Quandiu*, inquit, *in hac vita mortali vivimus, esse in homine luctam quamdam duarum delectationum, noxiæ & beneficæ, terrenæ atque cælestis; quarum utralibet vicerit, animum secum consentientem, ac pronum trahit. Tunc vero hominem a peccato liberari, & opus bonum effici cum cælestis illa suavitas de cælo venerit,* atque

Jansenius docet perpetua lucta intestina luctari in nobis malam & bonam delectationem indeliberatam, quarum quæ prævalet viribus sibi contrariam superat, nostræque voluntatis assensum irresistibiliter a nobis obtinet.

(1) Jansen. lib 4. de Gratia Christi cap. 12. pag. 185. lit. B.
(2) Idem ibidem cap 9 pag. 183. lit. B.
(3) Idem lib 7. de Grat. Christi cap. 5. pag. 315. col. 1. lit. D.
(4) Jansen. lib. 4. de Grat. Christi cap. 4. p. 173. col. 1. lit. A.

neque adversarium suum superaverit. Et iterum alio loco (1), *Pugnam istam exerceri*, inquit, *quatenus delectationes duæ, carnis & spiritus, inter se decertant, utram utra superatura, & animi consensum post se tractura sit . . . . Hæc contrariis concupiscentiis, seu desideriis luctantur inter se, ut animi con- consensum post se abripiant*. Et rursum (2). *Quamdiu* (humana voluntas) *in hac vita post acceptam gratiam militat Deo, alternante creaturæ, & Creatoris delectatione, nunc recte, nunc perperam facit, prout cœli, aut terræ delectatio consensum ejus abripuerit.* Vis igitur utriusque delectationis, auctore Jansenio, relativa est, ad vires scilicet modo majores, modo minores contrariæ sibi delectationis; ita ut, si delectatio cœlestis præstat viribus delectationi terrenæ, terrenam superat, simulque irresistibiliter voluntatem pertrahit ad assensum bonum. contra vero, si vires delectationis terrenæ majores fuerint viribus delectationis cœlestis, vincit terrena cœlestem, & simul secum voluntatem abripit, eamque irresistibiliter in malum consensum detrudit; nec voluntati relinquit, nisi exilia quædam, inchoata, atque jejuna desideria bona. Præstat Jansenium ipsum audire, cujus hæc verba sunt (3): *Delectatio victrix, quæ Augustino est efficax adjutorium, relativa est. Tunc enim est victrix, quando alteram superat. Quod si contingat alteram* (terrenam) *ardentiorem esse, in solis inefficacibus desideriis hærebit animus; nec efficaciter unquam volet quod volendum est*. Rursum (4). *In ista cum tentationibus dimicatione magnam, adeoque majorem, ac victricem delectationem cœlestem esse necessariam, ut delectatio terrena superetur, quia alioquin voluntas tam magnas volendi vires adhibere non potest, seu ut schola loquitur, tam intensè ac fortiter velle*

Ex Jansenio efficax gratia Dei est indeliberata delectatio bona, relative victrix, id est, quæ malam viribus superat; bonumque assensum a nobis irresistibiliter obtinet.

(1) Jansen. lib. 4. de Grat. Christi cap. 11. pag. 127. col. 2. lit. B. (2) Idem ibidem cap. 9. pag. 123. lit. D.
(3) Idem lib. 8. de Grat. Christi cap. 2. pag. 344. col. 2. lit. C.
(4) Idem lib. 4. de Grat. Christi cap. 7. pag. 176. col. 1. lit. E.

velle non potest, quantum necesse est, ut tentatio, seu delectatio opposita superetur. Item (1). *Tantopere esse necessariam*, inquit, *istam delectationis divinæ gratiam, quando cum terrenarum rerum delectationibus dimicamus, ut nisi major fuerit, quam terrena, qua noster affectus detinetur, fieri non possit, quin propriæ voluntatis infirmitate vincamur. Major enim delectatio nunquam sane delectatione minore superabitur; sed eam sequetur animus, quæ magis eum afficienda suavitate detinuerit*.

Ex Jansenio cum minore delectatione bona nunquam vincitur major mala; sed necessario peccatur: & cum minore delectatione mala nunquam vincitur major bona; sed bene vivitur necessario.

LXXXVI. Hinc, auctore Jansenio, duplex incumbit voluntati nostræ ad bonum malumque assensum antecedens necessitas, quæ insuperabilis nobis omnino est, & irresistibilis: itemque impotentia similis ad opposita. Major enim delectatio bona, præ mala, doctore Jansenio, antecedens, atque idcirco irresistibilis nobis est ad assensum bonum necessitas, atque ad assensum malum similis impotentia. Similiter, Magistro eodem, major delectatio mala præ bona, antecedens, atque idcirco irresistibilis nobis est ad assensum malum necessitas, & ad assensum bonum similis impotentia. Hæc enim pariter, æqualiterque sibi respondent. Absurdissimam hanc doctrinam sustinere Jansenius nititur auctoritate Augustini, maxime vero sententia illa, quam fundamenti instar universi ædificii sui pessimè materiati proponit, eamque, quamvis ab Augustino nondum Episcopo, quamvis nondum exorto Pelagiano bello prolatam, summis tamen laudibus in cœlum effert, nec ad satietatem modo, sed ad fastidium usque sexcenties repetit: habeturque in Exposit. ad cap. 15. epist. ad Galat. num. 49. tom. 3. *Quod amplius nos delectat, secundum id operamur necesse est*: quam, cum perspicue sit de delectatione voluntaria & deliberata, & de necessitate operis mere consequenti, quæ componitur optime cum libertatis indifferentia, malitiose interpretatur Jansenius

Ex Jansenio indeliberata delectatio mala, si major est bona, irresistibilis nobis est peccandi necessitas: indeliberata delectatio bona, si major est mala, irresistibilis nobis est beate vivendi necessitas.

(1) Jansen. lib. 4. de Grat. Christi cap. 6. pag. 185. col. 1. lit. B.

senius de delectatione involuntaria, & indeliberata, deque antecedenti necessitate, quæ pugnat cum libertatis indifferentia. Juvat hic audire Jansenium (1). *Unus est*, inquit, *locus hac de re clarissimus, & præclarissimus, qui aureis meretur scribi characteribus, quo Augustini mentem plenissime capiamus .... Quod enim amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Item (2): *Ubicumque animus inter peccatum, & justitiam constitutus in diversam trahitur; quod amplius delectaverit, secundum id operetur necesse est.* Rursum (3): *Ex eadem ratione nascitur, ut in conflictu delectationum, non aliud animo amplecti, nec ad aliud amandum, sequendumque moveri* (voluntas) *possit, nisi quod vehementius delectaverit.* Iterum (4): *Inter duo quæ delectant aliud eligere voluntas non potest, nisi quod delectando superaverit.* Denuo (5): *Hinc ille conflictus delectationum, de quo diximus ex Augustino, qui sopiri non potest, nisi altera alteram delectando superaverit, & eo tantum animæ pondus vergat. Quod enim amplius delectat, secundum id operemur necesse est.* Præterea (6): *Nisi suavitas Dei tanta fuerit; ut ei delectationes rerum creatarum cesserint, vel peccabitur, vel alternante* (æqualium) *delectationum fluctu, in medio remanebitur. Sin autem ista* (Dei suavitas) *superaverit, jam sine dubio bona voluntas operabitur. Quod enim amplius nos delectat secundum id operemur necesse est;* Quin adhuc amplius, & ultra (7); *Quemadmodum*, inquit, *voluntas sine præeunte delectatione velle, vel conseatire nequit, ita nec pravam delectationem sine aliqua majore delectatione, & meliore compescere. Ex eadem* quippe

Jansenius interpres falsus, & fallax Augustinianæ sententiæ.

(1) Jansen. lib 4. de Grat. Christi cap. 6. p. 175. col. 1. lit. D.
(2) Idem ibidem col. 2. lit. A.
(3) Idem ibidem cap. 7. pag. 178. col. 2. lit. D.
(4) Idem ibidem cap. 9. pag. 182. col. 2. lit. C.
(5) Idem ibidem pag. 183. lit. A.
(6) Idem ibidem cap. 10. pag. 184. col. 2. lit. C.
(7) Idem lib. 7. de Grat. Christi cap. 4. pag. 312. col. 2. lit. E.

quippe radice utrumque pari necessitate nascitur, pari certitudine ab Augustino traditur . . . . Quod enim amplius non delectat, secundum id operemur necesse est. Tandem aliquando (1), *Ex quibus*, inquit, *Augustini principiis perspicue apparet, impossibile esse, ut adjutorium illud cælestis delectationis non determinet, imo prædeterminet voluntatem; quia facit ut velis, & sine illa velle non possis; facit etiam ut ardentius velis, & sine illa ardentius velle non possis; facit denique, ut NECESSE SIT animum illud sequi, secundum istud operari, quod amplius delectaverit.*

LXXXVII. Incredibile prorsus est, quantopere Jansenius elaboraverit in suo a se corrupto Augustino, ut geminam illam delectationem contrariam, & indeliberatam, & secundum pluralitatem virium relative victricem suaderet, muniret, corroboraret. Intelligebat enim, quod in universo opere suo spectabat, ex gemina illa delectatione relative victrici, cujus ipse primus est artifex, necessario consequi, nullam in statu naturæ lapsæ reliquam nobis esse libertatem indifferentiæ: præcepta Dei vel ab justis hominibus volentibus & conantibus quandoque servari non posse, eisque ad ea servanda necessariam interdum gratiam deesse: nullam post Adæ lapsum superstitem esse vere & proprie sufficientem gratiam: omnem Christi gratiam esse efficacem; eique resistere vel obtemperare in potestate voluntatis nostræ omnino non esse. Cæteris prætermissis, quoniam hujus loci non sunt, ad solam libertatem indifferentiæ, vi & natura geminæ illius delectationis, a Jansenio negatam, me refero. Jam vero Jansenius ipse audiatur (2). *Cum motus*, inquit, *tentationis violentissimus victam oportet primas indifferentiam, profecto, & uterque perspicuè* demon-

Ex gemina Janseniana delectatione necessario fluxu sequuntur reliquæ ejus proscriptæ propositiones.

Gemina Janseniana delectatione, ipsomet Jansenio docente, tollitur funditus libertas indifferentiæ.

(1) Jansen. lib.8. de Grat.Christi cap.3. pag.346 col.2. lit.D.
(2) Jansen. lib.7. de Grat. Christi cap. 14 pag. 336. col.1. lit. E.

demonstrabit, non minus carnalis concupiscentiæ titillationes, quam gratiæ spiritualis delectationes capitalem, ac diametralem cum indifferentiæ libertate hostilitatem exercere. De terrena delectatione, quæ major sit delectatione cœlesti, respectu libertatis indifferentiæ, hæc sunt, quæ Jansenius docet (1): *Quid sibi vult lucta tanto difficilior, quanto tentationis motus est violentior, quod tantis quotidie clamoribus poscimus*, Et ne nos inducas in tentationem, *si tentationis motus non tollit indifferentiam, quam ante sentiebamus?* Rursum autem agens de eadem delectatione terrena præponderante delectationi cœlesti (2), *Ut quid*, inquit, *gravissimi peccatores totis medullis flagrante libidinis motu clamant, se voluntatis infirmitate non posse non cedere; & eos verum dicere non semel Augustinus docet, nisi quia gravissimus sit in alteram partem impulsus libertatis, cui ad æquilibrium reducendæ, par vel major gratiæ delectatio necessaria est? Ita vero augeri posse motum titillantis cupiditatis, ut non possit ei indifferentis libertatis nisu amplius repugnari.* De cœlesti autem gratiæ delectatione, quæ major sit terrenæ cupiditatis delectatione hæc similiter tradit (3): *Gratia quæ facit facere directe repugnat libertati, si libertas in Indifferentia agendi, & non agendi sita est. Nam illa Indifferentia perfecta instar bilancis est, quæ facillimo motu in alterutram partem impelli potest. Eodem* PRORSUS *est indifferentis voluntatis ratio. Minimus motus gratiæ tollit perfectum æquilibrium, major minuit, maximus PENITUS ADIMIT. Hoc ita verum est, ut nec ipsi scholastici, istius indifferentis patroni libertatis, hoc negare queant ..... Res vel cæcis est perspicua, quod per inclinationem in alteram partem indifferentia in utramque tollitur.* Et iterum de utraque præponderante gratiæ & cupiditatis delectatione, qua-

Argumenta Jansenii, quibus demonstrat cum sua gemina delectatione non posse consistere libertatem indifferentiæ.

Ex Jansenio sicut sub ponderibus inæqualibus stare non potest æquilibrium Libræ; ita sub inæqualibus delectationibus stare non potest indifferentia activa voluntatis.

(1) Jansen. lib. 7. de Grat. Christi cap. 14. pag. 336. col. 2. lit. B, & C. (2) Idem omnino ibidem lit. D.
(3) Idem ibidem pag. 335., & 336. col. 1., & 2.

qualem Scripturæ verbis proponit, hæc docet (1). *Inclinare autem & captivare cor, & voluntatem in testimonia, vel a testimoniis revocare, cujuslibet sani hominis sensus judicat, non posse fieri sine impulsu ac depressione indifferentiæ libertatis in alterum latus: quemadmodum stateræ æquilibrium inclinari in alterutram partem impossibile est sine indifferentiæ illius æqualis præjudicio.* Tandem scholasticos, idest, catholicos, libertatis indifferentiæ defensores sub qualibet vel majori, vel minori tum gratiæ, tum cupiditatis delectatione his verbis perstringit (2). *Scholastici, quocumque modo arbitrium sive gratiæ sive peccati delectationibus imbuatur, semper existimant eum utravis ejus dispositione posse fieri ut utramlibet velit sive bonum, sive malum, pro illa scilicet innata indifferentia voluntatis, quæ sub quacumque dispositione actum præveniente, sese sua libertate in utramvis partem flectit. Talis indifferentia contrarietatis ab Augustino constantissimè negata fuit, & a Pelagianis contentiosissime postulata.*

LXXXIX. Superioribus testimoniis apertissime docet Jansenius geminam delectationem suam relative victricem acerrimam inimicam esse libertatis indifferentiæ, quacum vehementissime pugnat, ab eaque odio dissidet capitali, nec cum ea conciliari ulla ratione potest. Hæc enim libertatis indifferentia, auctore Jansenio, necessario tollitur majori impulsu & momento alterutrius delectationis alteri præponderantis. Explicat id Jansenius exemplo, ad rem suam admodum apto, & accomodato. quod si contingeret, voluntatique nostræ conveniret, actum omnino de ejus indifferentia esset. Docet voluntatem nostram instar bilancis, seu libræ se habere, cujus indifferentia, & æquilibrium a graviori pondere semper, ac necessario tollitur. Si enim inæqualia hinc illinc pondera libræ imponantur, in illud latus inclinari libram, ac deprimi necesse est,

T 2 quod

(1) Jansen. lib. 7. de Grat. Christi cap. 14. pag. 336. col. 2. lit. A.
(2) Idem lib. 8. de Grat. Christi cap. 20. pag. 367. lit. C.

quod a graviori pondere trahitur: ita si pondus delectationis cælestis gravius est pondere delectationis terrenæ, cœlestis ad bonum assensum necessario pertrahit voluntatem; contra vero si pondus delectationis terrenæ gravius est pondere delectationis cœlestis, terrena in malum assensum voluntatem nostram necessario detrudit. Quidquid horum contingat voluntas nostra nunquam libera est libertate æquilibrii, & indifferentiæ; sed perpetua vicissitudine ab una irresistibili necessitate in contrariam alteram pariter irresistibilem sibi necessitatem defertur. Talis est a Jansenio de gemina delectatione relative victrici excogitata sententia. Quanquam non est hic locus confutandi Jansenium, breviter tamen, & cursim dico, nostræ libertatis indifferentiam, & æquilibrium perquammaxime discrepare ab æquilibrio & indifferentia libræ. Libræ enim indifferentia mere passiva est, quæ sub graviori materiæ pondere, non vi, & natura sua, suoque arbitratu, se hinc ad descensum, illinc ad ascensum determinat; sed ab eo ipso graviori pondere ad tales motus necessario determinatur. Contra vero nostræ voluntatis indifferentia non mere passiva, sed penitus activa est, quæ sub quovis, quamvis graviore, sive terrenæ, sive cœlestis delectationis pondere, vi & natura sua, suoque arbitratu, & ad assensum, & ad dissensum activè & libere se determinat. Morali æquilibrio & indifferentia caret profecto libra. Machina enim inanimata est. At in voluntate nostra præter activam & physicam, adest etiam indifferentia moralis, qua ad neutram contrariam partem sæpenumero inclinat. Hæc voluntatis nostræ moralis indifferentia, & , ut ita dicam, morale æquilibrium a prævenientibus indeliberatis animi permotionibus tollitur, quibus fit, ut voluntas modo ad unam, modo ad alteram partem inclinet magis, atque propendeat. At his non obstantibus, semper in libera potestate voluntatis est hujusmodi affectionibus & permotionibus

Differentia inter æquilibrium & actionem libræ, & inter æquilibrium & actionem voluntatis contra Jansenium ostenditur,

Mechanismus libræ ad voluntatem translatus verus est Manichæismus.

nibus arbitratu suo præstare, & negare assensum pariter atque dissensum. Itaque talis Mechanismus Libræ a Jansenio introductus verus & merus Manichæismus, Lutheranismus, & Calvinismus est.

Cur maximus ille Jansenii labor pro stabilienda systemate duarum delectationum.

XC. Sed jam ad historiam, a qua paululum sum dilapsus, me refero. Cum igitur proposuerit sibi Jansenius in perpetuo opere suo libertatem indifferentiæ pro hoc statu naturæ lapsæ de medio tollere; & in hujusmodi libertatis locum benè, maleque agendi necessitatem insuperabilem introducere, nullum putavit ad id obtinendum certius validiusque argumentum adhiberi posse gemina illa sua non absolute, sed relative victrici delectatione indeliberata. Hac de causa, velis equisque, ut dicitur, pugnas ad stabiliendas, confirmandas, atque corroborandas delectationes hujusmodi, atque ad earum vim declarandam, & insuperabilem agendi modum suadendum. Ceterum libertatem indifferentiæ, quam pertinaciter, & præfracte Jansenius negat pro statu naturæ lapsæ, eam ipsam libentissime attribuit tum primo homini pro statu naturæ stantis, & innocentis, tum etiam, eoque magis, Angelis omnibus, cum adhuc essent in via (1), *Ad utrumlibet*, inquit, *hoc est*, *ad bonum & malum*, *ad vitam & mortem*, *ad amorem Creatoris & creaturæ illa prima Adami libertas indifferens fuit*. Item (2), *Iste primus est in creatura liberi arbitrii status ad utramque non solum contradictionis*, *sed & contrarietatis partem prorsus flexibilis*, *& indifferens*: At in peccati pœnam consecuta est, auctore Jansenio, inevitabilis peccandi necessitas, atque idcirco jactura, & interitus libertatis indifferentiæ (3). *Ex hac*, inquit, *spontanea creaturæ rationalis in utramque partem liberrima discretione*, *illa æquabilis libertatis indifferentia*, *velut bilancis æquilibrium periit*. Et rursum (4), *Naturam humanam*, inquit, *peccato primi*

Libertas indifferentiæ pro statu naturæ integræ a Jansenio admissa.

Libertas indifferentiæ pro statu naturæ lapsæ a Jansenio negata.

(1) Jansen. de Grat. prim. Hom. & Angel. cap. 6. pag. 42. col. 2. lit. C. (2) Idem lib. 5. de Grat. Christi cap. 10. pag. 327. col. 2. lit. A. (3) Idem omnino ibidem lit. B.
(4) Idem lib. 4. de Stat. Nat. lapf. cap. 18. p. 258. col. 1. lit. E.

primi hominis ita violatam esse, & arbitrium voluntatis sub terrenarum rerum cupiditate depressum, ut libertas ad faciendum bonum, & abstinendum a malo interierit, & loco libertatis, peccandi necessitas consecuta sit. Et iterum de statu naturæ lapsæ, in quo versamur, hæc habet (1): *Status igitur iste, in quo non libertate faciendi boni, sed necessitate faciendi mali, peccata perpetrantur, pœnalis est de supplicio peccati liberioris impositus. Unde peccata, quæ inde fluunt, non propterea peccata esse desinunt, quòd ab eis animus, libertate faciendi boni oppositi, abstinere non potest*. Hæc autem peccandi necessitas, qua libertas indifferentiæ periit, auctore Jansenio, in innata nobis concupiscentia consistit, quæ pœna est originalis peccati (2). *Quia arbitrium*, inquit, *nondum est a peccato, idest, a concupiscentia voluntati seu consensus ejus dominante liberatum, non potest motibus illius resistere; sed, simulatque ceperit, vincitur, cupiditatum dominantium delectatione prostratum*. Hinc concludit propugnatam ab antiquis philosophis, a Pelagianis, & a Scholasticis libertatem indifferentiæ nihil aliud revera esse nisi peccandi necessitatem (3). *Ex quo fit*, inquit, *ut istiusmodi libertas arbitrii, quam philosophi bilancis instar indifferentem ad malum & bonum, quod ipsi noverant, fabricarunt, & ex ipsis Pelagiani, & nonnulli Scholastici minus attenti ad ea, quæ docuit Augustinus, amplexi sunt, non sit aliud, quam illa peccandi necessitas, de qua hactenus disserumus*.

XCI. Indifferentiam igitur voluntatis nostræ, & a necessitate simplici, quamvis irresistibili, libertatem intollerabili veterum gentilium philosophorum, Pelagianorum, novorumque Scholasticorum absurditati Jansenius attribuit: docetque hujusmodi de voluntatis nostræ libertate, & indifferentia errorem eversum funditus ab Augustino esse in suis contra

(1) Jansen. de Stat. Nat. lapf. lib. 4. cap. 22. p. 267 col. 1 lit. C.
(2) Idem lib. 3. de stat. Nat. lapf. cap 6. pag. 188 col 2 lit. C.
(3) Idem lib. 4. de stat. nat. lapf. cap. 24. p. 269. col. 2, lit. D.

tra Pelagianos concertationibus (1). *Cum audimus, inquit, liberum voluntatis arbitrium, solemus imaginari indifferentiam quamdam voluntatis ad bonum & malum, quam semper hominibus adesse mordicus asserebat Julianus, inficiabatur Augustinus, & ipsa veritas catholicos inficiari cogit. Hæc imbecillitas imaginandi in catholicis, & sentiendi in Pelagianis ex philosophorum gentilium institutione nota est.* Item (2). *Pelagiani docuerunt mordicus, in hoc sitam esse arbitrii libertatem, ut in utramque partem contrarietatis, bonum videlicet ac malum, se posset arbitrium indifferenter flectere. Augustinus e contrario mordicus hoc ipsum negat.* Rursus (3). *Docet contra Pelagianorum istas assertiones* (Augustinus) *libertatem arbitrii non solum cum necessitate solius boni faciendi posse consistere, sed etiam cum necessitate solius mali; imo ex necessitate boni salvam relinquendo libertatem, probat eam etiam nulla mali necessitate perimi.* Item (4): *Vides chimæram illam afflatam, quæ recentiores aliquos in errores christianis intolerandos compulit. Putant enim, quod & Pelagianorum dogma capitale fuit, voluntatem hoc ipso quo libera est, quibuslibet motibus sibi incidentibus dominari, ac resistere sua libertate posse. Quod Augustinus tunquam paradoxum certissima scripturarum auctoritate contrivit.* Præterea (5): *Sententiam istam, velut fortissimam, & erroris Pelagiani nidum sæpe & acerrime refutavit Augustinus, & asseveranter docet, & ad libertatem arbitrii non esse necessariam illam ad utrumque contrariorum, bonum videlicet atque malum, indifferentiam.* Mox (6): *Mirantur hæc, qui nullam liber-*

Jansenius sententiam de permanente in nobis libertate indifferentiæ Pelagianis, contrariam vero sententiam de illius jactura Augustino falso & temere attribuit.

(1) Jansen. lib. 4. de Stat. Nat. Lapf. cap. 24. pag. 269. col. 2. lit. A.
(2) Idem lib. 3. De Stat. Nat. Lapf. cap. 8. pag. 187. col. 1. lit. D.
(3) Idem ibidem cap. 11. pag. 195. col. 1. lit. B.
(4) Idem lib 8 de Grat. Christi cap. 13. pag. 360. col. 1. lit. A.
(5) Idem lib. 7. de Grat. Christi cap. 12. pag. 328. col. 2. lit. C.
(6) Idem ibidem cap. 4. pag. 310. col. 2. lit. E.

libertatem cogitare consueverunt, nisi illam fluctuantem indifferentiam, apud Augustinum sub libertatis nomine prorsus incognitam. Novitatem doctrinæ suæ verbis superioribus vel invitus Jansenius significat: quod & sequentibus verbis iterum indicat (1). *Quid sit liberum arbitrium Augustino non satis penetrant, nec unquam ausim dicere penetrabunt, quamdiu non aliam in Augustino libertatem, quam illam philosophicam indifferentiam quærendam esse censuerint*. Denique consueta sibi, quam præ se præfidentiam fert, sibique soli vindicato jure interpretandi Augustini, in hæc verba concludit (2): *Hoc confidenter mihi asserere licet in universis voluminibus, quæ contra Pelagianos* (ab Augustino) *exarata sunt, totoque illo conflictu de solva, destructave per gratiam arbitrii libertate, non aliam ullam elucere libertatis arbitrii faciem, quam produximus: nec esse vestigium, quo Augustinus unquam de tali indifferentiæ libertate ad eligendum hoc vel illud bonum cogitasse, multoque minus ad eam depellenda* (Pelagianæ) *calumniæ causâ confugisse videatur*.

Jansenius pro hoc statu solam libertatem a coactione cum Calvino admittit.

XCII. Repudiata igitur libertate indifferentiæ, seu a simplici necessitate, quam per peccatum hominis primi Jansenius tradit amissam, non aliam nobis pro statu naturæ lapsæ, reliquam esse libertatem cum Calvino docet, nisi eam, quæ dicitur a coactione, quæ conciliatur optimè cum necessitate simplici, nec repugnat nisi violentiæ, per quam fieret, ut inviti, & nolentes ageremur potius, quam ageremus. Ad salvandum igitur libertatem actus, qualis ad merendum, & demerendum est necessaria, satis Jansenio est, ut actio non sit coacta, sed voluntaria, quamvis necessaria sit necessitate nobis insuperabili, & invincibili. Hanc suam doctrinam, cujus auctorem temere ac impudènter Augustinum venditat, novam & inauditam futuram

(1) Jansen. lib. 7. De Grat. Christi cap. 5. pag. 315. col. a. lit. A. (2) Idem ibidem cap. 9. pag. 326. col. 1. lit. B.

ram scholasticis Jansenius non diffitetur, quin tamen idcirco, si fides ipsi habeatur, de ejus falsitate & absurditate dubitet. Congero hic & accumulo excerptas a Jansenio sententias (1): *Necessitas*, inquit, *quæ nec aliud est respectu voluntatis, quam quædam vis, aut violentia, aut coactio, quæ operatur id quod potest, etiam nolente voluntate, repugnare libertati, eamque funditus perimere: non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria, quo scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed immutabiliter volente voluntate. Mira videbitur scholasticis ista doctrina; & tamen in Augustini principiis est indubitata.* Item (2): *Sola necessit. illa violenta, sub qua arbitrium premitur, atque cogitur, seu necessitas coactionis libertati arbitrii adversatur.* Rursus (3); *Sola necessitas coactionis adimit libertatem, non necessitas illa simplex, & voluntaria.* Iterum (4): *Simplicem illam necessitatem, sublata omni omnino indifferentia & contrarietatis, & contradictionis non efficere in doctrina Sancti Doctoris libertatis arbitrio.* Denuo (5): *Hactenus declaravimus generalem libertatis rationem, a qua dictum est liberum arbitrium, commune bonis & malis, in eo situm esse, quod immune sit a necessitate coactionis.* Præterea (6): *Hæc est Augustino liberum, quod voluntarium, quod non necessitate coactionis extortum ....* *Quicumque aliam libertatem arbitrii in Augustini scriptis quærit, oleum & operam perdet: nec exitum ex Labyrintho inextricabili plurimarum difficultatum inveniet.* Deinde (7): *Non aliter liberum arbitrium in peccando quærendum esse* (Augustinus) *significat, nisi quia vi delectationis istius, quam dixerat, non alius*

Jansenius sententiam de sola superstite in nobis libertate a coactione Augustino falso & temerè attribuit.

V

(1) Jansen. lib.6. de Grat.Christi cap.6.pag.266.col.2. lit.C.
(2) Idem ibidem pag.267. col.1. lit.B.
(3) Idem ibidem col.2. lit.A.
(4) Idem ibidem cap.8. pag.269. col.1. lit.B.
(5) Idem ibidem lib.7. cap.1. pag.307. col.1. lit.A.
(6) Idem ibidem cap.4. pag.313. col.1. lit.D.
(7) Idem ibidem lib.8. cap.9. pag.355. col.1. lit.G.

alius quispiam cogent hominem, sed ipse homo delinitus propria voluntate peccatum facit ..... *Sed quomodo igitur, inquies, voluntas ista libera est ad peccandum & non peccandum, si solum catenus libero peccatur arbitrio, quia homo peccato delectatur, atque ideo sua voluntate delinquit? Respondebit Augustinus, se nihil omnino de tali indifferentiæ libertate esse solicitum; sed catenus liberam esse, quia est libera a justitia, hoc est, quia arbitrium non impeditur a justitia* (a majori delectatione justitiæ) *quia ipsummet voluntate peccandi delectatum propria sua voluntate peccet*. Denique (1); *Omnem deliberatam voluntatem, hoc ipso, quo est in nostra potestate, hoc est, quo non fit nolentibus, sed volentibus nobis, esse liberam, non posse non esse liberam, sive etiam necessario exercitii necessitate fiat, sive non fiat*.

XCIII. His constitutis progreditur Jansenius ad explicandam concordiam Divinæ gratiæ efficacis cum libero nostræ voluntatis arbitrio. Et primo quidem difficultatem conciliandæ gratiæ efficacis cum arbitrio libero natam affirmat ab erronea scholasticorum, qui subrepserunt, sententia, quod profanam secuti Philosophiam, libertatis humanæ vim, & naturam in quadam librata hinc illinc voluntatis indifferentia constituerunt, per quam in libera hominis potestate sit tum bonum, tum malum velle, tum ab utroque abstinere. Talem autem humanæ libertatis vim & naturam, ab scholasticis excogitatam, antiquis defensoribus gratiæ vel ignotam fuisse, vel repudiatam contendit. Audiatur (2): *Istum*, inquit, *libertatis cum gratia conciliandæ modum, quo nunc tantopere scholæ perstrepunt, doctoresque fatigantur, ut sub nomine libertatis indifferentiam illam libratam contrarietatis, atque contradictionis muniant, & stabiliant, priscis gratiæ defensoribus vel ignotum, contemptumve esse; & aliquot sæculis post, scholasticis subintran-*

Sententiam de concordia gratiæ efficacis cum libertatis indifferentia novis scholasticis Jansenius dumtaxat attribuit.

(1) Jansen, lib. 4. de stat. nat lapf. cap. 24 p. 271. col. 2. lit. D.
(2) Idem lib. 8. de Grat. Christi cap. 18. p. 365. col. 2. lit. A. &c.

trantibus, & liberi arbitrii vim, quam isti veteres tamquam sibi perspectissimam tuebantur, non satis penetrantibus, emersisse. Hanc errandi causam Scholasticis in Philosophiam rejicit, in quam sic acerbissimè, ut Calvinus, invehitur (1): *Quid enim aliud, obsecro, sententias illas peperit, quæ divinam gratiam imperioso nutui humanæ libertatis aptavit, nisi Philosophia? Quid eas tanta animositate defendit, nisi Philosophia? quæ non videtur aliud libertatis genus admittere, nisi quod omnibus in voluntatem admissis aut irruentibus, plena atque indifferenti potestate, dominatur ..... Semper Philosophia, quemadmodum mater hæreticorum fuit, ita rerum divinarum arcanis definiendis adhibita, mater errorum fuit.* Remotis igitur ab hac disputatione Scholasticis, & Philosophis, causam Jansenius defert ad Augustini, Prosperi, atque Fulgentii tribunal, hisque judicibus, a se male adhibitis, & pejus interpretatis, contendit, in eo concordiam efficacis gratiæ cum humana libertate consistere, quod arbitrium liberum sub efficaci gratia non lapidis instar, non instar trunci se habet, otiando scilicet, atque cessando, & nihil omnino agendo: quod nullam ab efficaci gratia violentiam, nullam vim, nullam coactionem patitur: quod non invitum, neque coactum, sed sciens, volens, libens, & prudens, omni tamen seclusa penitus dissentiendi potestate, efficaci gratiæ cooperatur, & assentitur. Ipsa Jansenii verba, quæ quid senserit ipse testantur, produco (2): *Ne unus quidem*, inquit, *arbitror inveniendus est, qui aliter gratiæ influxum cum libertate conciliavit, quam Augustinus, Prosper, & Fulgentius fecit, hoc est, quia non sola gratia facit opus renitente, invita, coacta voluntate; nec arbitrium instar trunci agitur, sed gratia facit ut etiam liberum arbitrium aliquid agat, & voluntario motu feratur in bonum.* Item

Invehitur cum Calvino Jansenius contra philosophos, tanquam depravatores scholasticorum, qui libertatem indifferentiæ sub efficaci gratia defendunt.

Jansenius concordiam libertatis cum gratia efficaci in eo consistit, quod sub gratia efficaci sola persistit activa libertas a coactione; quem suum errorem Augustino, Prospero, atque Fulgentio temere attribuit.

V 2

(1) Jansen. lib. Proœm. cap. 3. pag. 3. col. 1. lit. C. &c.
(2) Idem lib. 8. de Grat. Christi cap. 12. pag. 358. col. 2. lit. C.

Item (1): *Tantum* (apud Augustinum) *silentium istius indifferentiæ contradictionis, tanquam libertati necessariæ, de qua nunc vehemens disputatio est, ut ad salvandam arbitrii libertatem sub gratia, nunquam eam vel semel adhibuerit in universis fuit adversus Pelagianos lucubrationibus: ut merito suspicari aliquis posset, istam libertatis rationem, de qua tantopere contenditur, esse meræ Philosophiæ fœtum, a nullis antiquis gratiæ defensoribus, Augustino, Prospero, Fulgentio, sub nomine libertatis arbitrii propugnatam, requisitam, agnitam fuisse*. Rursum (2): *De indifferentia, qualem scholastici quidam exigunt, nihil omnino S. Doctor solicitus est, dummodo non alienetur opus a propria voluntate ...... Et in hoc unico concordiam gratiæ, & liberæ voluntatis ab ipso statui: quod arbitrium non instar trunci jaceat, aut cogatur invitum*. Iterum (3): *Nunquam Augustinum respondendo Pelagianis, de violata per gratiam libertate conquerentibus, istum conciliandi modum tetigisse, quod voluntas ita per gratiam velit, ut possit non velle; sed semper illum, quod operante gratia non instar trunci, quem Deus moveat; feramur ad bonum*. Denuo (4): *Audi quid respondeat Augustinus, & non aliter salvam persistere libertatem doceat, quam quia non instar lapidum agimur; sed etiam simul aliquid agimus nostra voluntate*. Mox (5): *Non aliter conciliat gratiam* (cum libertate) *Augustinus, nisi quia gratia facit velle voluntatem, nihil omnino de indifferentia præsente, vel absente satagendo*. Deinde (6). *Voluntatem esse semper liberam, tam in bono, quam in malo, tam sub gratia, quam sub peccato; quia expers est violentiæ, cogentisque necessitatis*. Denique (7): *Nulla gratiæ efficacia, nulla necessitas acti-*

(1) Jansen lib. 8 de Grat. Chr. cap 9 pag. 355. col 2. lit. E. &c.
(2) Idem ibidem cap. 8. pag. 353 col. 1. lit C &c.
(3) Idem ibidem cap. 5 pag 348. col. 1. lit. E.
(4) Idem ibidem pag. 350 col. 1. lit. E.
(5) Idem ibidem cap 7 pag. 352 col. 1. lit. D.
(6) Idem ibidem cap 13. pag. 358. col. 2. lit B.
(7) Idem ibidem cap. 19. pag. 366. col. 2. lit. D.

aʃʃibat voluntatis liberis formidanda eʃt; ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.

XCIV. Modum hunc conciliandi gratiam Dei efficacem cum hominis libertate, nec a Calvini ſententia eadem de re diſcrepare, nec aptè congruere cum Tridentini doctrina non ignorabat Janſenius. Itaque hanc ipſe ſibi permoleſtam difficultatem verbis his diſſolvendam propoſuit (1): *Objicitur fortaſſis adverſus iſtam gratiæ, & liberi arbitrii concordiam, eam a ſententia Calvini non differre. Sic enim utrumque invicem* (Calvinus) *conciliat, ut dicat, hominem vi gratiæ non ita trahi, ut ſine motu voluntatis, quaſi extraneo impulſu feratur; ſed intus affici, ut ſua voluntate obſequatur. Hoc eſt, voluntariè tantum, non libere influere in opera bona voluntatem. Quæ ſententia a Concilio Tridentino diſſonat.* Jamvero ſolutionem præclaram, & Janſenio dignam audiamus: *Reſpondetur, Non omnia, quæ hæretici docent, ſunt hæretica.* Addit præterea bene ſenſiſſe Calvinum cum Auguſtino, & antiquis Patribus, negando ſcilicet ſub efficaci gratia libertatem indifferentiæ, ſeu a ſimplici neceſſitate, quamvis irreſiſtibili; ſolamque docendo libertatem a coactione: in quo non eſſe Auguſtino indignandum propter odium Calvini; ſed propter Auguſtini amorem, debitumque honorem, gratulandum potius Calvino eſſe. Ecce Janſenii verba (2): *Si qua in re Calvinus cum Auguſtino, & antiquis Patribus ſenſerit, non propter Calvinum Auguſtino indignandum eſt; ſed propter Auguſtinum Calvino potius gratulandum.* Fatetur ergo Janſenius Calvinum, cui & addere Lutherum poterat, quod XIV. Capite demonſtravimus, in eadem ſecum eſſe ſententia de interitu libertatis indifferentiæ, & a ſimplici neceſſitate, deque ſola reliqua libertate a coactione ſub efficaci gratia. Verum quia illud idem ſenſiſſe, & docuiſſe Auguſtinum cum diſcipulis ſuis, & ceteris con-

Janſenius fatetur ſententiam ſuam de concordia gratiæ efficacis cum ſola libertate a coactione, eamdem eſſe, atque Calvini ſententiam; nec in eo errare, ſed optimè cum Auguſtino ſentire Calvinum affirmat.

(1) Janſen. lib. 8. de Grat. Chriſti cap. 21. pag. 370. col. 2. lit. B.
(2) Idem ibidem lit. D.

consequentibus Patribus Jansenius contendit, non idcirco, Jansenio judice, ut repugnemus Calvino, deserendus est Augustinus. Sed Jansenium ipsum audiamus (1); *An ideo*, inquit, *negandum est, quod apertissimum, ac certissimum est, Augustinum videlicet, & discipulos, ac posteros ejus Sanctos Patres ita conciliasse gratiam cum libero arbitrio, ut gratia non cogat violenter voluntatem, sed suaviter ei velle tribuat, atque ita non nihil instar lapidis agat, sed aliquid etiam proprio motu cooperetur; an hoc, inquam, ideo negandum est Augustinum sensisse, ac docuisse, quia Calvinus etiam in immunitate coactionis libertatem videtur voluisse collocare?* Callida & malitiosa extrema hæc verba sunt. Etenim non videtur Calvinus in immunitate coactionis libertatem voluisse, ut Jansenius loquitur, collocare; sed certum omnino, perspicuum, exploratumque est, Calvinum in sola immunitate coactionis libertatem, cui suffragatur Jansénius, collocasse. Itaque videtur potius Jansenius, hac sua responsione, Calvinismi notam, infamiam, & ignominiam voluisse a se, si fieri posset, abalienare.

XCV. Quod autem ad Concilium Tridentinum pertinet, quod sibi supra Jansenius objecerat, multa quidem Jansenius dicit, & in omnem partem se versat; sed aqua hæret, ut ajunt. Juvat hic Tridentini auctoritatem afferre (2). *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire si velit, anathema sit.* Item declarat (3): *Ipsius justificationis exordium in adultis a Dei per Christum Jesum præveniente gratia sumendum esse, ut per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: itaut*

(1) Jansen. lib. 8 de Grat. Christi pag. 372. col. 1. lit. A. & B.
(2) Trident. Sess. VI. Can. IV.
(3) Idem Sess. VI. Cap. V.

stant tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippequi illam & abjicere potest. Jam vero evidens omnino est, quod & in oculos cujusque incurrit, nisi oculos sibi effoderit, superiori canone, atque decreto, non de sufficienti, sed de efficaci Dei gratia Tridentinum agere, & loqui. Agit enim de gratia, qua liberum hominis arbitrium re vera, & in actu secundo, ut scholæ loquuntur, ad sui justificationem se disponit, ac præparat. At gratia hujusmodi non est profecto gratia mere sufficiens, qua ad sui justificationem nullus se disponit, nec præparat; sed gratia efficax est. Agit de gratia Dei præveniente, movente, excitante, adjuvante, illuminante, inspirante, cui liberum arbitrium hominis re ipsa cooperatur, cui re ipsa assentitur. At evidens omnino est, Dei gratiam, cui liberum hominis arbitrium re ipsa cooperatur, cui re ipsa assentitur, non esse gratiam mere sufficientem, cui nec cooperatur quis, nec assentitur; sed efficacem. At P. Bellelli a P. Berti laudatus, cui assentiri minime possum, Tridentini Canonem, atque Decretum non de efficaci, sed de sufficienti gratia dumtaxat interpretatur, cujus hæc verba sunt (1): *Dicimus id a Tridentina Synodo definitum fuisse, quod liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum vocationi interiori sufficienti, quæ dat posse, valeat resistere, si velit; quam quidem gratiam, si vult abiicere, etiam potest, imo & interdum abiicit . . . Ergo œcumenica Tridentina Synodus arbitrium posse resistere gratiæ sufficienti profecto sanxit*. At evidens est Tridentinum ibi agere, & loqui de gratia efficaci. Ergo œcumenica Tridentina Synodus arbitrium hominis posse resistere gratiæ efficaci profecto sanxit. *Augustinus vero*, pergit P. Bellelli, *non sufficienti gratiæ, sed per se efficaci, victrici, indeclinabili, & insuperabili*,

Demonstratur Tridentinum, sess. VI. tum can. IV. tum cap. V. non de sufficienti gratia loqui, sed de efficaci.

P. Bellelli a P. Berti laudatus, censet, cui non assentior, Tridentinum locis commemoratis, agere de gratia mere sufficienti.

Ex Tridentino liberum hominis arbitrium potest resistere gratiæ efficaci.

(1) P. Bellel. apud P. Berti System. August. vindic. Differ. 4. cap. 3. §. 7. num. 6. pag. 344. & 345.

bili, quæ dat velle, & perficere, arbitrium minime

Verba ab Augustino nunquam adhibita.

posse resistere scripsit. Indicet mihi P. Bellelli in omnibus operibus Sancti Augustini locum unum Sancti Doctoris, in quo semel hæc verba habeat: *Gratia per se efficax: Gratia victrix: Gratia indeclinabilis: Gratia insuperabilis*, & erit mihi magnus Apollo: Docet quidem Sanctus Augustinus, & optime docet lib. de Correp. & Grat. cap. 12. num. 38. tom. 10. Voluntatem hominis prædestinati dono, & gratia perseverantiæ finalis, nec ob infirmitatem suam posse deficere: atque idcirco talem voluntatem indeclinabilem esse; nec ab adversitate ulla posse superari, & ideo insuperabilem esse hujusmodi voluntatem. Nunquam tamen, & nuspiam docet, Dei gratiam ab hominis voluntate indeclinabilem esse, & insuperabilem; itant liberum nostræ voluntatis arbitrium divinæ gratiæ efficaci nequeat resistere, & dissentire, quod Concilio Tridentino repugnat. Cæterum non dubito, quin interpretatio Tridentini a P. Bellelli adhibita, & a P. Berti laudata, revera discrepet ab interpretatione Jansenii. Quare utriusque mentem ac voluntatem, ad quam aditus mihi non est, & probo, & veneror: verba autem, ut mihi sonant, probare omninò non possum.

Jansenius frustra conatur se a Tridentini auctoritate expedire.

XCVI. Itaque amicissimè salutatis Patribus Berti, & Bellelli, ad unum Jansenium, quocum mihi res est, statim me refero. Negat Jansenius doctrinam suam de sublata libertate indifferentiæ sub divina gratia efficaci a Tridentini doctrina discrepare. Rectene, an perperam neget, videamus. Definit, atque decernit contra Lutheranos, & Calvinianos Tridentina Synodus, liberum arbitrium hominis ita assentiri divinæ gratiæ efficaci, ut eidem gratiæ possit dissentire si velit. Ergo liberum arbitrium hominis loco ponendi assensum, potest si velit dissensum opponere divinæ gratiæ efficaci. Ergo efficax Dei gratia nequaquam est libero arbitrio hominis irresistibilis ad assensum necessitas. Hominis ergo arbitrium sub efficaci Dei gratia liberum omnino

Ex Tridentino demonstratur liberum hominis arbitrium posse resistere, & dissentire gratiæ efficaci, & idcirco sub gratia efficaci persistere libertatem indifferentiæ.

est

est ab omni irresistibili ad assensum necessitate. Id autem perinde se habet ac arbitrium hominis ea libertate esse liberum, quæ dicitur libertas indifferentiæ. quod pertinaciter, & præfracte contra doctrinam Concilii Tridentini negat Jansenius. Docet præterea sancta Synodus injustos homines, eosque adultos, qui beneficio divinæ gratiæ efficacis ad sui se conversionem disponunt, assentiri liberè divinæ gratiæ efficaci: & ea quidem libertate assentiri libere, qua efficacem inspirationem ita assentiendo recipiunt, ut eamdem abiicere dissentiendo possint. Hic autem iterum sub efficaci divina gratia definitam declaratamque habemus a Tridentina Synodo libertatem indifferentiæ, ab omni irresistibili necessitate prorsus immunem. Perspicuum igitur exploratumque est Jansenii doctrinam de sublata sub efficaci gratia libertate, quæ dicitur indifferentiæ, repugnare quammaximè Tridentini doctrinæ, quæ definit atque decernit sub efficaci gratia salvam incolumemque persistere, atque manere nostræ libertatis indifferentiam.

XCVII. Præter Calvinianam notam, quam frustra a se removere Jansenius nititur, Manichæam quoque ignominiam, iterato labore inutili, a se conatur repellere. Non tanquam Manichæum monstrum exhorret, quale revera est, sed tanquam Manichæum spectrum Jansenius irridet, sublatam nobis omnem bene faciendi libertatem, & incumbentem humano generi inevitabilem peccandi necessitatem: ad quod, tanquam ad larvam pueri, profanis philosophorum regulis imbuti, minusque assueti Christianis præceptis, institutisque, exhorrescunt. Hæc enim sunt verba Jansenii (1): *Multi philosophicis magis hac de re disputationibus, & cogitationibus, quam ecclesiasticæ doctrinæ regulis assuefacti ad amissam omnem boni faciendi libertatem, & incumbentem humano generi peccandi necessitatem, quasi ad*

Jansenius frustra conatur a Manichæorum erroribus se expedire.

(1) Jansen. lib. 4. de stat. nat. laps. cap. 24. pag. 202. col. 2. lit. E.

ad Manichæum spectrum exhorrescunt. Non de philosophico ludo homines, sed omnes catholicæ Ecclesiæ auditores ad tale Manichæum monstrum, non sine gravi causa, cadente scilicet in christianum virum timore, exhorrescunt. Ostensurus ergo Jansenius differentiam, quæ suam inter & Manichæorum doctrinam intercedit, hæc in sui defensionem literis commendavit (1): *Manichæi ex illa concupiscentiæ importunitate colligebant malam naturam nobis esse permissam, quæ in nobis sine arbitrii nostri libertate peccata fingeret. Et hanc libertatis inopiam ex naturæ nostræ institutione contigisse. Augustinus contra docet, naturam hominis cum arbitrio liberrimo sine cæcitate, sine concupiscentiæ renitentis infirmitate primitus esse conditam; sed male usu hujusmodi libertate, peccandi necessitatem accidisse; ita videlicet, ut illa peccandi necessitas, quam & Manichæi, & Augustinus in homine esse animadvertebant, & admittebant, & esse fatebantur, non esset natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Jam vero initam a Jansenio comparationem suam inter & Manichæorum doctrinam accipio, ad trutinam revoco, ex eaque demonstro in eadem versari hæresi cum Manichæis Jansenianos. Manichæi docebant, teste Jansenio, malam naturam nobis esse permissam, quæ in nobis sine arbitrii nostri libertate peccata fingeret. Docet Jansenius, malam concupiscentiam, seu delectationem malam nobis esse permissam: quod ultro concedimus, Quæ in nobis, hic latet error, sine arbitrii nostri ab irresistibili necessitate libertate, qualis ad merendum & demerendum est apud Catholicos necessaria, peccata necessitando fingit. Manichæi, eodem teste, hanc libertatis ab irresistibili scilicet necessitate inopiam ex naturæ nostræ institutione contigisse affirmabant. Jansenius hanc libertatis ab irresistibili necessitate inopiam ex hereditaria naturæ nostræ depravatione contigisse affirmat. Præterea,

Ex ipsamet Jansenii comparatione demonstratur eum cum Manichæis contra Augustinum sentire.

(1) Jansen. lib.3. de stat. nat. lapf. cap.12. pag.196. col.2. lit. A.

rea, facta comparatione Augustini Iprensis cum Hipponensi, Augustinus Iprensis male contra Manichæos docet, ex male usa liberrima primi hominis libertate physicam, & irresistibilem peccandi necessitatem accidisse. Augustinus vero Hipponensis bene contra Manichæos docet, ex male usa liberrima primi hominis libertate, non nisi moralem, & resistibilem peccandi necessitatem accidisse, quatenus concupiscentia, vinculo integritatis soluta, quæ pœna est originalis peccati, nos ad peccaudum provocat, & allectat; cui resistere, nec sine opitulante Dei gratia, nec sine difficultate valemus. Postremo Augustinus non nisi moralem, & resistibilem peccandi necessitatem admittebat, quam pœnam esse primi damnati hominis affirmabat. Contra vero non moralem, sed physicam, & irresistibilem peccandi necessitatem, quam Manichæi admittebant. Jansenius admittit, quam ex natura instituti hominis Manichæi repetebant; Jansenius vero ex pœna damnati repetit. At irresistibilis peccandi necessitas, & jactura libertatis indifferentiæ sive cum Manichæis ex permista nobis natura mala, sive cum Jansenio ex permista nobis concupiscentia mala exorta dicatur; sive ex natura sit instituti hominis, ut Manichæi volebant; sive ex pœna damnati, ut contendit Jansenius, eadem persistit Manichæorum, & Janseniaorum exsecranda doctrina.

XCVIII. At enim, si ex suscepta a Jansenio doctrinæ suæ defensione, qua Manichææ hæresis ignominiam a se propulsare contendit, satis aperte demonstratum est supra, sentire Jansenium cum Manichæis, multo magis ex Augustini testimoniis apparet, Manichæismum non modo olere, & sapere Jansenianos, sed genuinos etiam germanosque esse Manichæorum successores, & male materiatam, ruinosamque Manichæorum hæresim instaurare iterum, atque reficere. Paucissima quædam ex S. Augustino testimonia depromo, longe plura productu-rus in aciem ex delecto milite Augustiniani exerci-

 tus,

tus, in ipso pugnæ discrimine contra novos, & veteres Manichæos (1). *Duas* (inquit Augustinus) *animas*, (Manichæi dicunt) *vel duas mentes, unam bonam, alteram malam, inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*. Duas indeliberatas delectationes Jansenius dicit, unam bonam, alteram malam, inter se habere conflictum, quando caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. At conflictus iste carnis, & spiritus, de quo Paulus Apostolus, non est Jansenianus conflictus, instar Manichæi conflictus, quo, ut Jansenius loquitur, duæ delectationes indeliberatæ bona una, altera mala inter sese decertant, utra utram superatura, & voluntatis assensum post se tractura sit. Item hæc narrat de Manichæis Augustinus (2): *Manichæi duas animas unam bonam, alteram malam in uno homine esse delirant. Et omnia quidem bona hominis illi bonæ animæ, omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt*. Jansenius similiter, duas delectationes irresistibiliter ad bonum & malum necessitantes, unam bonam, alteram malam in uno homine esse delirat. Et omnia quidem bona hominis delectationi bonæ necessitanti, omnia vero mala delectationi malæ necessitanti tribuit. Præterea hæc Augustinus de Manichæis (3), *Tunc se peccare dicunt*, (Manichæi) *quando natura mali prævalet naturæ Dei. Hæc Manichæorum est immundissima insania*. Ita & non aliter, duce ac magistro Jansenio, tunc se peccare dicunt Janseniani, quando delectatio mala prævalet viribus, & major est indeliberata delectatione bona. Hæc Jansenianorum est immundissima insania. Si enim indeliberata delectatio mala prævalet viribus, & major est indeliberata delectatione bona, tunc, auctore Jansenio, homo necessario peccat, nec abstinere a peccato potest: contra vero, si indeliberata delectatio bona præ-

Ex Augustino demonstratur Jansenium in eodem errore cum Manichæis versari de duplici principio necessitante, & de sublata libertate indifferentiæ.

(1) S. Aug. lib. de Hæres. ad Quodvultdeum hæres. 46. to. 8.
(2) Idem lib. de Duab. Animab. cap. 12. num. 16. tom. 8.
(3) Idem lib. de Continen. cap. 5. num. 14. tom. 6.

prævalet viribus & major est indeliberata delectatione mala, tunc, auctore eodem, homo necessario abstinet a peccato, & peccare omnino non potest. Postremo sicut Manichæi posita illa duplici anima, bona una, altera mala, non a coactione, sed a simplici necessitate liberum negabant arbitrium. sentiebant enim se non invitos, atque coactos, sed volentes, atque nolentes, tum bene, tum male vivere; ita & non aliter Janseniani, posita illa duplici delectatione indeliberata, & necessitante, bona una, altera mala, qua se volentes, atque nolentes & bene, & male vivere sentiunt, non a coactione, sed a sola simplici necessitate liberum negant arbitrium. Itaque ex hactenus narratis, expositis, ac disputatis, certum, manifestum, exploratumque fit, Jansenianos in propugnanda hæresi de duplici principio necessitante, & de jactura libertatis indifferentiæ, successores esse veterum Manichæorum.

CAPUT XVII.

De S. Augustino Manichaeorum olim Auditore.

Augustinus Catechumenus ab undevigesimo ad annum dundetrigesimum Manichæorum Auditor.

XCIX. Augustinus Christianus tunc catechumenus, nondum baptizatus fidelis, annum agens undevigesimum, cum esset Carthagine, ubi humanioribus literis adolescentes adolescens instituebat, in Manichæos incidit, quorum erroribus vitiatus, depravatusque est. Novem annos in ea hæresi versatus est, ab anno scilicet undevigesimo ad annum usque octavum supra vigesimum, Testis est Possidius Calamensis Episcopus, & Augustini discipulus, quocum, ut ipse testatur, annos quadraginta familiarissimè vixerat, de quo hæc literis commendavit (1): *Verum aliquando Manichæorum apud Charthaginem adolescens fuerat errore seductus.* Accedit testimonium ipsiusmet Augustini,

(1) Possid. Calamen. cap. 1. Vit. August. Extat in Append. tom. x. Operum S. August. edit. Maurin. pag. 165.

gustini, qui talia de se ipse narrat (1): *Per idem tempus annorum novem ab undevigesimo anno ætatis meæ usque ad duodetrigesimum seducebamur* (a Manichæis) *& seducebamus*. Item alio loco (2). *Novem*, inquit, *ferme anni sunt, quibus ego in illo limo profundi, ac tenebris falsitatis, cum sæpe surgere conarer, & gravius colliderer, volutatus sum*. Et iterum Manichæos alloquens (3), *Audite*, inquit, *doctos Ecclesiæ catholicæ viros tanta pace animi, & eo voto, quo ego vos audivi; nihil opus erit novem annis, quibus me ludificastis*. Præterea Electorum flagitia perstringens (4), *Novem*, inquit, *annos totos magna cura, ac diligentia vos audivi. nullus mihi Electorum innotescere potuit, qui secundum hæc præcepta, non aut deprehensus in peccato, aut certe suspicioni subditus fuerit*. Et rursum (5): *Quid enim me aliud*, inquit, *cogebat annos fere novem, spreta religione, quæ mihi a puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi, ac diligenter audire?* Quod autem dicit insitam sibi a parentibus adhuc puerulo christianam religionem, nihil aliud significat, nisi ab ineunte ætate parentum cura se catechumenorum initiatum, christianisque institutionibus eruditum. Quod apertissimè alio loco declarat, illorumque temporum usitatam a Catechumenis consuetudinem refert (6): *Ego adhuc puer*, inquit, *& signabar jam signo crucis, & condiebar ejus sale . . . . . Dilata est mundatio mea, quasi necesse esset, ut adhuc sordidarer, si viverem, quia videlicet post lavacrum illud major, & periculosior in sordibus delictorum reatus foret*.

C. In Manichæorum grege ex Auditorum, non ex Electorum numero se fuisse Augustinus sæpe testatur.

(1) August. lib 4. Confes. cap. 1. num. 1. tom. 1.
(2) Idem ibidem cap 11. num. 19.
(3) Idem lib. 1. de Morib. Eccl. Cathol. cap 18. num. 34. to 1.
(4) Idem ibidem lib. 2. cap. 19. num 68. tom. 1.
(5) Idem lib. de Utilit. creden. ad Honorat. cap. 1. n. 2. to. 8.
(6) Idem lib. 1. Confes. cap. 11. num. 17. tom. 1.

ſtatur. Cauſam autem affert, cur in Auditorum gradu ſe continuerit, nec ad altiorem aſcenderit ordinem Electorum, qui ab humanis curis, negotiiſque feriati, vitam traducebant otioſam: nimirum, quod in eorum diſputationibus animadverterit, eos in confirmandis placitis & ſententiis ſuis hæſitantes, incertos, debiles, & imbecilles eſſe, itaut eis acquieſcere penitus Auguſtinus non poſſet. Eo autem tempore, quo Manichæorum Auditor erat, ſe chriſtianum catholicum fuiſſe narrat, ideſt, Eccleſiæ catholicæ catechumenum. Catechumeni enim vulgo dicebantur chriſtiani, minime vero fideles: ſuſcepto autem baptiſmo, non modo chriſtiani, ſed etiam fideles appellabantur. Audiatur S. Doctor (1): *Sed quæ me*, inquit, *ratio revocabat, ne apud eos penitus hærerem, ut me in illo gradu, quem vocant Auditorum, tenerem, ut hujus mundi ſpem, atque negotia non dimitterem: niſi quod ipſos quoque animadvertebam plus in refellendis aliis diſertos, & copioſos eſſe, quam in ſuis probandis firmos, & certos manere? Sed de me quid dicam, qui jam catholicus Chriſtianus eram?* In publica autem, celebri, atque ſolemni diſceptatione illa, Hippone apud univerſum populum habita, qua Fortunatum Presbyterum Manichæum Auguſtinus confutavit, cum quæſtionem de Manichæorum doctrina ad eam, quæ eſt de moribus Manichæorum Fortunatus transferre contenderet, S. Doctor ſe non ex Electorum cætu, ſed ex Auditorum grege unum ſe fuiſſe reſpondet. & univerſam Manichæorum doctrinam Auditoribus ſuis tradi ſolitam a Manichæorum Electis; mores autem ipſorum in ſecretis Myſteriis, maxime vero in conficienda turpiſſima, & clandeſtina eorum Euchariſtia Auditoribus penitus occultari. *De moribus veſtris* (2), inquit, *plenè ſcire poſſunt qui Electi veſtri ſunt. Noſtis autem me non Electum veſtrum, ſed Auditorem fuiſſe. Itaque quamvis & era-*

Catechumeni, olim Chriſtiani: baptizati autem vulgo Fideles appellabantur.

(1) Aug. lib. de Utilit. credend. ad Honorat. cap. 1. n. 2. to. 8.
(2) Idem lib. contr. Fortun. Manich. diſp. 1. num. 3. tom. 8.

orationi vestræ interfuerim, ut interrogasti, Utrum separatim vobiscum habeatis aliquam orationem, Deus solus potest nosse, & vos. Ego tamen in oratione, in qua interfui, nihil turpe fieri vidi: sed solum contra fidem animadverti, quam postea didici & probavi, quod contra Solem facitis orationem. Præter hoc in illa oratione vestra nihil novi comperi. Quisquis autem vobis apponit quæstionem aliquam de moribus, Electis vestris opponit. Quid autem inter vos agatis, qui Electi estis, ego scire non possum. Nam & Eucharistiam audivi a vobis sæpe quod accipiatis: tempus autem accipiendi cum me lateret, quid accipiatis, unde nosse potui. Itaque serva, si placet, quæstionem de moribus, ut inter Electos vestros discutiatur, si discuti potest. Mihi fides data est a vobis, quam hodie improbo. De ipsa proposui: ad propositum meum mihi respondeatur. Patefactam sibi Manichæorum Auditori universam hæresim Manichæam, traditamque epistolam, quam Fundamenti appellabant, in qua tota pene Manichæorum fabula continebatur, his iterum verbis Augustinus docet (1): *Videamus*, inquit, *quid me doceat Manichæus, & potissimum illum consideremus librum, quem* Fundamenti Epistolam *dicitis, ubi totum pene quod creditis continetur. Illa enim nobis illo tempore miseris quando lecta est, illuminati dicebamur a vobis.* In judicio autem Carthaginensi apud Episcopos judices de Manichæorum doctrina, & de Electorum moribus, Augustinus qui in eo judicio aderat, utpote qui olim Auditor Manichæorum fuerat, universam Manichæorum doctrinam Auditoribus tradi solitam patefecit, itaut, qui in eo judicio aderant Manichæorum Electi, eam omnino negare nequiverint. At verò turpissima Electorum flagitia, & exsecrandas libidines in peragendis impiis mysteriis, & conficienda exsecrabili eorum Eucharistia, utpote quæ Auditoribus occultabantur, solæ Manichæorum Electæ, judiciali quæstione perterritæ, patefecerunt. Testis locu-

Auditoribus tota Manichæorum doctrina tradebatur; clandestina autem sacra solis nota erant Electis.

(1) Aug. lib. contr. epist. Manich. cap. 5. num. 6. tom. 8.

locupletissimus est Possidius Calameosis episcopus, qui hæc literis commendavit (1): *Apud Carthaginem, dum per quemdam domus regiæ procuratorem, nomine Ursum, fidei catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum, quos Electos vel Electas dicunt, præsentes perveniretur, atque ad Ecclesiam ab eodem deducerentur, & perducerentur, ab episcopis ad tabulas auditi sunt. Inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ ceteris illam exsecrabilem sectam noverat, & eorum prodens ejusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum, quos illi accipiunt Manichæi, usque ad confessionem earum blasphemiarum eos perduxit. Et quæ inter se illi sua more male indigna & turpia facere consueverant, feminarum illarum velut Electarum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est.*

CI. Mirabitur fortasse quispiam, qui fieri potuerit, ut Augustinus, acerrimo fretus ingenio, tot tantisque Manichæorum fabulis, hisque maxime absurdis & absonis assentiretur. At si in eo errandi causas investigemus, admiratio omnino cessabit. Etenim cum in Manichæos incidit, adolescens Augustinus erat, eaque ætate, in qua maxima inest imbecillitas consilii; item, rerum novarum, & inanis gloriolæ natura percupidus; præterea, voluptatum illecebris captus, & libidinibus serviens; quodque capitale est in christiana doctrina, utpote admodum negligens mollis & languidus catechumenus, fere hospes, & peregrinus. Quæ autem in Manichæam hæresim vehementius adolescentem se impulerunt, Augustinus ipse testatur, id est: simulata Manichæorum pietas, caritas, continentia, modestia, maxime vero mira quædam, quam prædicabant, morum doctrinæque severitas: quamquam id quidem commune omnium hæreticorum est, maxime vero Jansenianorum, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi

August. adolescens, & catechumenus, in christiana doctrina admodum rudis, voluptatibus serviens, gloriæ percupidus, ostentata pietate, & severitate Electorum deceptus, in Manichæorum errores incidit.

(1) Possid. Calamen. in Vita August. in Append. tom. x. Operum S. August. edit. Maurin. cap. 16. pag. 180.

lupi rapaces; sed, ut nobis caveamus, admonente Domino, a fructibus eorum, idest, exempli gratia, ab obscenissimis eorum convulsionibus, cognoscemus eos. Item, ut ad Augustinum me referam, Manichæis eum adstrinxerunt laus gloriæ, & palma victoriæ, quam in suis cum simplicibus, imperitisque Christianis concertationibus reportabat (1). *Sed me duo quædam*, inquit, *maximè, quæ incautam illam ætatem facile capiunt, per admirabiles adtrivere circuitus, quorum est unum familiaritas* (cum Manichæis) *nescio quomodo repens quadam imagine bonitatis . . . . Alterum quod quadam noxia victoria pene mihi semper in disputationibus proveniebat disserenti cum christianis imperitis; sed tamen fidem suam certatim, ut quisque posset defendere, molientibus*. Eadem severitatis, & continentiæ ficta simulataque ostentatione Alypius etiam cum sodali suo Augustino in Manichæas incidit plagas, de quo hæc Augustinus narrat (2): *Illa mecum superstitione involutus est, amans in Manichæis ostentationem continentiæ, quam verum, & germanam putabat. Erat autem illa vecors, & seductoria, pretiosas animas captans, nondum virtutis altitudinem scientes tangere, & superficie decipi faciles, sed tamen adumbratæ, simulataque virtutis*.

CII. Ad hæc accedebat incredibile quoddam in Augustino veri inveniendi studium, ac desiderium. Manichæi autem non nisi veritatem in ore habebant, ad quam obtinendam Auditores suos, auctoritate neglecta, tanquam terrifica quadam larva, perspicuis exploratisque rationibus se perducturos pollicebantur, quanquam sero eos non stetisse promissis Augustinus cognoverit (3). *Incidi*, inquit, *in homines superbè delirantes, & carnales nimis, & loquaces. Et dicebant Veritas, Veritas; & multum eam dicebant mibi, & nusquam erat in eis*. Et alio loco rem

(1) August. lib. de duab. Animab. contra Manich. cap.9. num.11. tom.8. (2) Idem lib.6. Confes. cap.7. n.12, tom.1.
(3) August. lib.3. Confes. cap.6. num.10. tom.1.

rem copiosius exponit ad amicum suum Honoratum, in Manichæismo adhuc perseverantem, quem ab errore abducere S. Doctor conatur (1). *Nosti*, inquit, *Honorate, non aliam ob causam nos in tales homines incidisse, nisi quod se dicebant, terribili auctoritate separata, mera & simplici ratione, eos, qui se audire vellent, introducturos ad Deum, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem, spreta religione, quæ mihi puerulo a parentibus insita erat, homines illos sequi, ac diligenter audire, nisi quod nos superstitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent; se autem nullum premere ad fidem, nisi prius discussa, & enodata veritate? Quis non his pollicitationibus illiceretur, præsertim adolescentis animus cupidus veri?* Sed nullum tormentum validius ad labefactandum adolescentis, & Catechumeni infirmum admodum & vacillantem animum celeberrima quæstione illa a Manichæis excitata, *UNDE MALUM?* Minimè quidem, dicebant, a Deo bono; a Deo igitur malo, atque idcirco ab æterna natura mala. Hæc autem est quæstio illa, quæ doctissimorum etiam hominum semper ingenia torsit, & fatigavit. Ne autem malorum omnium origo tribueretur peccato primi omnium parentis, repudiabant Manichæi testamentum vetus, corruptumque novum a novis ex Judaismo christianis affirmabant, qua duplici auctoritate originale peccatum innotuit. Ad elevandam autem auctoritatem veteris testamenti ea objiciebant adolescenti Augustino, quæ primo adspectu vehementer perturbant, doctumque interpretem, atque sapientem desiderant. Augustinus ipse audiatur, quid Evodio respondeat, sic se interroganti (2): *Dic mihi unde malè faciamus?* Cui Augustinus, *Eam*, inquit, *quæstionem moves, quæ me admodum adolescentem vehementer exercuit, & fatigatum in hæreticos impulit, atque dejecit. Quo casu ita jam afflictus, & tantis*

Augustinus, promissa sibi ab Electis veritate, & felicitate certa, & perspicua, pro cæca, superstitiosa, & simplici credulitate, fit Manichæus.

(1) Aug. lib. de utilit. creden ad Honorat. cap. 1. n. 2. t. 8.
(2) Idem lib. 1. de Lib. Arb. cap. 2. num. 4. tom. 1.

Augustinus exterritus quæstione illa; Unde malum? & de humana Dei forma, similibusque quæstionibus contra vetus testamentum fit Manichæus.

& tantis obrutus acervis inanium fabularum, ut nisi mihi amor inveniendi veri opem divinam impetravisset, emergere inde, atque in ipsam primam quærendi libertatem respirare non possem. Et iterum alio loco (1), *Movebar*, inquit, *ut suffragarer* (Manichæis) *stultis deceptoribus, cum a me quærerent, UNDE MALUM? Et utrum forma corporea humana Deus frueretur, & haberet capillos, & ungues? Et utrum justi existimandi essent, qui haberent uxores multas, & occiderent homines, & sacrificarent de animalibus?*

CIII. Sed nullum vinculum arctius ad adstringendum Augustini animum in societate Manichæorum, irresistibili illa peccandi necessitate, quæ ex Manichæorum principiis necessariò consequebatur. Talis enim adolescentis Augustini indoles fuit, ut hinc ad laudem virtutis, & gloriam; illinc ad libidines, turpesque corporis voluptates vehementer propensus esset, atque proclivis. Copulandus igitur Augustino erat splendor virtutis, si fieri posset, cum corporis voluptate. Itaque ad retinendam virtutis laudem & gloriam; tuendamque etiam in mediis turpitudinum suarum fluctibus tranquillitatem animi suadebat sibi cum sodalibus suis Manichæis non esse se qui peccaret, sed aliud quidpiam, quod secum esset, & ipse non esset: excusatumque se iri putabat, quod non ipse libera voluntate sua peccaret; sed alia in ipso necessario peccaret natura, in quam culpam suam conferebat, malam scilicet animam illam, quam nobis penitus admistam esse, nosque ad peccandum irresistibiliter necessitare Manichæi docebant. Blandiebatur igitur sibi cum Manichæis Augustinus extra culpam se esse cum peccabat, quod non libera voluntate sua, sed irresistibili sibi necessitate peccaret. Pestiferum hunc, & maximè capitalem errorem suum his verbis Augustinus deplorat (2): *Adhuc enim mihi videbatur non esse nos, qui peccamus; sed nescio quam aliam in nobis*

Constituta a Manichæis irresistibili peccandi necessitate, & hinc sublata ignominia peccati, extinctisque conscientiæ stimulis Augustinus ad libidines propensus Manichæis adhærescit.

(1) Aug. lib.3. Confes. cap.7. num.12. tom.1.
(2) August. lib.5. Confes. cap.10. num.18. tom.1.

nobis peccare naturam; & delectabat superbiam meam extra culpam esse; & cum aliquid mali fecissem, non confiteri me fecisse, ut sanares animam meam, quoniam peccabat tibi: sed excusare eam amabam, & accusare nescio quid aliud, quod mecum esset, & ipse non essem. In eodem errore Janseniani, veri, germani, & genuini Manichæorum successores versantur. Videtur enim ipsis, ut Augustini dictione utar, non esse se qui peccant, sed aliam in se distinctam a seipsis peccare rem, indeliberatam scilicet delectationem malam majorem indeliberata delectatione bona; & delectat eorum superbiam extra culpam se esse; & cum aliquid mali faciunt, non confitentur se fecisse, ut sanet Deus eorum animas, quoniam ei peccant; sed excusare eas amant, & accusare quidpiam, indeliberatam scilicet delectationem malam majorem indeliberata delectatione bona, quæ in ipsis est, &, quod sunt ipsi, non est. Dicunt Janseniani talia se non docere; tamen non id spectandum est, quid ipsi dicant, sed quid consentaneum sit eis dicere, qui statuunt fieri non posse, ut cum minori delectatione bona resistatur majori delectatione malæ, & a peccando quis se contineat: item, non esse in potestate peccantis vel augere vires delectationis bonæ, vel imminuere vires delectationis malæ, atque efficere ut delectatio bona major sit delectatione mala, quo solo casu abstinere quis a peccato potest. Utraque enim delectatio indeliberata est, nec pendet a nostris consiliis, & voluntatibus. Itaque necesse est, ut homo in tali statu constitutus, in quem nec sua se voluntate conjecit, & a quo sua voluntate evadere ipse non potest, necesse est, inquam, necessitate sibi irresistibili ut peccet. Non est igitur ipse qui peccat, peccato scilicet sibi ad reatum pœnæ imputabili; sed est delectatio illa mala, vel potius diabolus est. talis delectationis auctor, qui in ipso peccat. Justa est ergo in Janseniana sententia excusatio peccantis, nec justa minus accusatio est vel majoris delectationis malæ,

Jansenianorum error de indeliberata delectatione mala ad peccandum necessitante, cum suis consequentiis, similis omnino demonstratur Manichæorum errori de Anima mala necessaria causa peccati, cum his quæ ex ea consequuntur.

læ, vel diaboli, qui talis delectationis est auctor. Dixerit fortasse quispiam, oret, ut impetret delectationem bonam ad non peccandum, quæ major sit delectatione mala ad peccandum. At in Janseniana sententia, orare non potest, nisi habeat delectationem bonam ad orandum, quæ major sit delectatione mala ad non orandum. Hæc autem major delectatio bona extra potestatem hominis omnino est. Itaque irresistibili necessitate in Janseniana doctrina peccat, quicumque peccat. Posita autem Janseniana peccandi necessitate, in desperationem salutis præcipitamur, omnes intercidùntur nervi honestatis, malis omnibus cupiditatibus laxantur fræna, nullum denique scelus, nullum malum facinus est, ad quod suscipiendum non Janseniana delectatio indeliberata relativè victrix impellat. O sanctam christianæ severitatis, & continentiæ doctrinam! O severos vitiorum Judices, & Censores!

CAPUT XVIII.

De Sancti Augustini scriptis, & actis contra Manichæos.

CIV. PRima, quæ in hactenus editis S. Augustini operibus se legenda offerunt, contra Manichæos S. Doctoris scripta, tres ejus libri sunt de Libero Arbitrio. Cum Romæ reversurus in Africam post susceptum Mediolani ab Ambrosio baptismum Augustinus demoraretur, primum de Libero Arbitrio perfecit librum anno 378., reliquos vero duos in in Africa absolvit, cum esset presbyter ordinatus labente anno 395., quo exeunte episcopus creatus est (1). *Tres libri*, inquit, *quos eadem disputatio peperit, appellati sunt de Libero Arbitrio, quorum secundum & tertium in Africa jam etiam Hipponeregio presbyter ordinatus, sicut tunc potui, terminavi.* Tale opus susceptum a se contra

Augustini prima contra Manichæos scripta tres de Libero Arbitrio libri.

(1) S. August. lib. 1. Retract. cap. 9. num. 1. tom. 1.

tra capitalem Manichæorum errorem Augustinus ipse testatur (1): *Propter eos*, inquit, *disputatio ista suscepta est, qui negant ex libera voluntatis arbitrio mali originem duci; & Deum, si ita est, creatorem omnium naturarum culpandum esse contendunt: eo modo volentes secundum suæ impietatis errorem, Manichæi enim sunt, immutabilem quamdam, & Deo coæternam introducere mali naturam*. Hos tres libros de Libero Arbitrio ineunte anno 396. idest, anno primo episcopatus sui, Paulino Nolano Episcopo, scripta ejus desideranti, legendos Augustinus transmisit (2): *Tres libros*, inquit, *atque utinam tam grandis quæstionis ita explicatores, ut grandes, tanto minus metueres in te laborem legendi, quanto in te ardorem perspicio diligendi, misi sanctitati & caritati tuæ: nam quæstio eorum de libero arbitrio est*.

Augustinus Episcopus tres suos de Libero Arbitrio libros legendos ad Paulinum Nolanum transmittit.

Scripsit præterea Augustinus sub suæ conversionis initium anno circiter 389., post reditum suum in Africam duos de Genesi contra Minichæos libros, de quibus hæc narrat (3). *In Africa constitutus scripsi duos libros de Genesi contra Manichæos. Quamvis enim in superioribus libris quidquid disputavi* (in libris de libero-arbitrio) *unde ostenderem Deum summè bonum, & immutabilem creatorem esse omnium mutabilium naturarum, nec ullam esse naturam malam sive substantiam, in quantum natura est atque substantia, adversus Manichæos nostra invigilaret intentio. Isti tamen duo libri apertissimè adversus eos editi sunt in defensionem veteris Legis, quam vehementi studio vesani erroris oppugnant*. Hos ipsos de Genesi contra Manichæos libros S. Doctor alio loco, jamdudum Episcopus his verbis refert, atque commemorat (4). *Contra Manichæos, qui has literas veteris Testamenti non aliter quam oportet accipiendo errant, sed omnino non accipiendo & detestando blasphemant*,

Augustini libri duo de Genesi contra Manich.

Augustinus Episcopus probat duos a se scriptos libros de Genesi contra Manichæos.

(1) S. August. lib. 1. Retract. cap. 9. tom. 1. num. 2.
(2) Idem epist. 31 ad Paulin. num 7. tom. 2.
(3) Idem lib. 1. Retract. cap. 10 num. 1. t. 1.
(4) Idem lib. 8. de Genes. ad Litter. cap. 2. num. 5. tom. 3.

mant, duos conscripsi libros recenti tempore conversionis meæ, cito volens eorum confutare deliramenta, vel erigere intentionem ad quærendam in literis, quas oderant, christianam, & evangelicam fidem.

Augustini libri duo de Moribus Ecclesiæ catholicæ, & de Moribus Manichæorum ad coercendam Manichæorum jactantiam de ficta & simulata ab eis vitæ, & morum severitate, & continentia.

CV. Sequuntur S. Doctoris duo contra Manichæos libri, quorum primus de moribus Ecclesiæ Catholicæ, alter de moribus Manichæorum inscribitur, quos Romæ ineunte anno 388. S. Doctor absolvit; vulgavit autem in Africa, ut editores Maurini censent, anno fortasse 389. Scribendi causa libros hujusmodi Augustino fuit ficta, & simulata Manichæorum severitas, & continentia, quam, in perditissima vita, ceterorum hæreticorum more, ad decipiendos simplices & incautos fideles, fallaciter ostentabant. Augustinum testem produco (1): *Jam baptizatus*, inquit, *cum Romæ essem, nec ferre tacitus possem Manichæorum jactantiam de falsâ & fallaci continentia, vel abstinentia, qua se ad imperitos decipiendos, veris christianis, quibus comparandi non sunt, insuper præferunt, scripsi duos libros, unum de moribus Ecclesiæ catholicæ, alterum de moribus Manichæorum*.

Augustini liber de vera religione in cujus extrema parte Manichæos confutat.

Liber etiam de vera religione, quem S. Doctor anno circiter 360, nondum presbyter scripsit, extrema potissimum illius parte ad confutandos Manichæos pertinet: de quo Augustinus (3), *Maximè*, inquit, *contra duas naturas Manichæorum hic liber loquitur*.

Augustinus factus presbyter scribit librum de utilitate credendi ad amicum suum Honoratum; quem ipse in Manichæos conjecerat.

Hunc excipit alter Augustini liber de utilitate credendi ad amicum suum Honoratum, quem, cum Augustinus olim Manichæus nondum christianum, nondum scilicet catechumenum, atque etiam invitum & repugnantem ad Manichæos adduxisset, nunc a Manichæorum errore eum revocare conatur; hisque verbis alloquitur (3). *Tu nondum christianus, qui hortatu meo, cum eos vehementer exsecrareris, vix adductus es, ut audiendi tibi atque explorandi viderentur, quæ quæso*

(1) S. Aug. lib. 1. Retract. cap. 7. num. 1. tom. 1.
(2) Idem ibidem cap. 13. num. 1. tom. 1.
(3) Idem lib. de utilit. creden. ad Honorat cap. 1. n. 2. t. 8.

quæso alia re delectatus es recordare, obsecro te, nisi magna quadam præsumptione, ac pollicitatione rationum? Hic autem liber primus est omnium, quos Augustinus factus presbyter edidit. Audiatur (1): *Jam vero apud Hipponem-regium presbyter scripsi librum de utilitate credendi, ad amicum meum, quem deceptum a Manichæis, adhuc eo errore noveram detineri, & irridere in catholicæ fidei disciplina quod juberentur homines credere, non autem quid esset verum certissima ratione docerentur.* Cum autem Augustinus ineunte anno 391. presbyter sit initiatus, ad hunc ipsum annum liber iste pertinet. Librum de utilitate credendi continuo consequitur alter S. Doctoris contra Manichæos liber, qui de duabus animabus conscribitur. Quare in eundem annum 361. cum superiore rejicitur. Hæc enim de hujusmodi libro S. Augustinus habet (2). *Post hunc librum* (de utilitate credendi) *scripsi adhuc presbyter contra Manichæos de duabus animabus, quarum dicunt unam partem Dei esse, alteram de gente tenebrarum, quam non condiderit Deus, & quæ sit Deo coæterna: & has ambas animas, unam bonam, alteram malam in uno homine esse delirent: istam scilicet malam propriam carnis esse dicentes, quam carnem etiam dicunt gentis esse tenebrarum; illam vero bonam ex adventitia Dei parte, quæ cum tenebrarum gente confligerit, atque utramque miscuerit: & omnia quidem bona homini illi bonæ animæ; omnia vero mala illi malæ animæ tribuunt.*

Augustinus adhuc Presbyter scribit contra Manichæos librum de duabus Animabus, bonam unam, bonorum omnium; malam alteram omnium malorum in Manichæorum sententia necessariam in nobis causam.

CVI. Inter Augustini acta, quæ contra Manichæos sunt, celebris disputatio illa numeratur, quam S. Doctor habuit cum Fortunato Manichæorum presbytero anno 392. ab Augustino suscepta, & literis commendata: de qua satis est tum Possidii Calamensis Episcopi, tum ipsiusmet Augustini monumenta proferre. Possidius quidem hæc narrat (3):

Z In

(1) Aug. lib. 1. Retract. cap. 14 num. 1. tom. 1.
(2) Idem ibidem cap. 15. num. 1. tom. 1.
(3) Possid. Calamen. in August. vita cap. 6.

Prima Augustini presbyteri contra Manichæos actio, literis ab eo tradita disputationes duæ sunt contra Fortunatum Manichæorum presbyterum, de origine mali, quem confutavit egregiè, & discedere Hippone coegit.

In illa Hipponensi urbe Manichæorum pestilentia quam plurimos cives, & peregrinos infecerat & penetraverat, seducente & decipiente ejusdem hæresis quodam presbytero nomine Fortunato, ibidem conversante, atque manente. Interea Hipponenses cives, & peregrini christiani, tam catholici, quam etiam Donatistæ adeunt Augustinum presbyterum, atque deposcunt, ut illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebant, videret, & cum eo de Lege tractaret. Quod idem ..... minimè renuit. Sed utrum etiam hoc Fortunatus fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes, & exhortantes, ac flagitantes, quòd id minimè recusaret. Sanè quoniam idem Fortunatus sanctum noverat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum, cum eodem congredi pavitabat. Veruntamen suorum maximè instantia coactus, ac verecundatus, promisit comminus se esse venturum, certamenque disputandi subiturum. Unde condicto die, & loco convenerunt in unum, concurrentibus quam plurimis viris studiosis, turbisque curiosis. & apertis Notariorum tabulis, disputatio est cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille Manichæus præceptor, ut Gestorum continet fides, nec catholicam assertionem potuit evacuare, nec Manichæorum sectam subnixam veritate valuit comprobare; sed deficiens responsione, ultimo collaturum se cum suis majoribus ea, quæ refellere non potuit, professus est; & si sibi fortè de his satis minimè fecissent, suæ animæ consulturum: atque ita ab omnibus, apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuisse in sua secta assertione judicatus est. Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponensi civitate profectus, ad eamdem amplius non remeavit. ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quæ gesta sunt cognoverant, error ille ablatus, catholica est intimata, ac retenta religio. Hactenus Possidius. Eadem Augusti-

gustinus his verbis confirmat (1): *Eodem tempore presbyterii mei, contra Fortunatum quemdam Manichæorum presbyterum disputavi, qui plurimum temporis apud Hipponem vixerat, seduxeratque tam multos, ut propter illos ibi eum delectaret habitare. Quæ disputatio nobis altercantibus excepta est a Notariis, veluti Gesta conficerentur; nam & diem habet, & consulem. Hanc in librum memoriæ conferre curavimus. Versatur ibi quæstio, Unde sit malum; me asserente, exortum fuisse hominis malum ex libero voluntatis arbitrio; illo autem naturam mali Deo coæternam persuadere moliente. Sed consequenti die tandem confessus est, nihil se adversus nos invenire quod diceret. Nec sane catholicus factus est; sed tamen ab Hippone discessit.* Publicum autem, solemne, legitimum, & certissima auctoritate disputationis hujus monumentum his verbis universæ concertationi ab Augustino præfigitur (2). *Quinto Kalendas Septembris, Arcadio Augustabis, & Rufino viris clarissimis consulibus, habita disputatio adversus Fortunatum Manichæorum presbyterum, in urbe Hipponensium regionum, in Balneis Sossii, sub præsentia populi.*

CVII. Anno circiter 394., cum adhuc presbiter esset, scripsit Augustinus librum unum contra Adimantum olim Manichæi discipulum, de quo Adimanto hæc S. Doctor habet eodem libro (3); *Insultare ausus est populo Israel Adimantus unus* (ex duodecim) *discipulis Manichæi, quem magnum Doctorem illius secta fuisse commemorant*. Item alio loco hæc de Adimanto, ejusque opere narrat (4): *Adimanti apud est, filius discipuli Manichæi, qui prænomine Addas dictus est*. Sic antiquiores *MSS.*

Augustinus adhuc presbyter scribit librum contra Adimantum, olim Manichæi discipulum.

(1) S. August. lib. 1. Retract. cap. 16. num. 1. tom 1.
(2) Idem disput. 1. contra Fortun. Manich. pag. 67. col. 1. lit. A tom. 8.
(3) S. Aug. lib. contr. Adimant. cap. 12. num. 2. tom. 8.
(4) Idem lib. 2. contr. advers. Leg. & Proph. cap. 12, num. 41. tom. 8.

At editi omnes ante Maurinos sic habent: *Qui proprio nomine Addos dictus est*. De suo autem contra Adimantum opere hæc S. Doctor posteritati mandavit (1): *Eodem tempore venerunt in manus meas quædam disputationes Adimanti, qui fuerat Manichæi discipulus, quas conscripsit adversus Legem, & Prophetas, velut contraria eis Evangelica, & Apostolica scripta demonstrare conatus. Huic ego respondi verba ejus ponens, eisque reddens responsionem meam.* Hactenus Augustini libri, quos & antequam presbyter esset, & presbyteratùs sui tempore S. Doctor contra Manichæos conscripsit. Quinque priores libri, nempe: *De Libero Arbitrio, de Genesi contro Manichæos, de Moribus Ecclesiæ catholicæ, de Moribus Manichæorum, de Vera Religione*, ad tempus pertinent, quo nondum Augustinus initiatus presbyter fuerat. Tales se ab Alypio libros Paulinus tunc, inprimis doctus, sanctus, & pius presbyter accepisse testatur, hisque in cælum laudibus illos effert (2): *Accepimus insigne præcipuum dilectionis, & sollicitudinis tuæ opus fontis, & perfecti in Domino Christo viri, fratris nostri Augustini, libris quinque confectum: quod ita miramur, atque suspicimus, ut dictato divinitus verbo credamus.* Sequenti autem epistolâ ad Augustinum scribens hæc de quinque ejus libris ab Alypio acceptis, deque Augustini laudibus habet (3): *Quos munere benedicti, & venerabilis nobis Episcopi nostri Alypii, non pro nostro instructione tantum, sed etiam pro Ecclesiæ multorum urbium utilitate suscepimus. Hos igitur nunc libros lectioni habeo; in his me oblecto; de his cibum capio . . . . . O verè sol terræ, quæ præcordia nostra ne possint sæculi venescere errore, condiuntur! O lucerna dignè supra candelabrum Ecclesiæ posita, quæ late catholicis urbibus de septiformi lychno postum oleo*

Augustini nondu Episcopi quinque contra Manichæos libros ab Alypio accipit Nolanus Paulinus, quos divinos appellat, summisque laudibus una cum Augustino in Cælum effert.

(1) S. Aug. lib. 1 Retract. cap. 22. num. 1. tom. 1.
(2) Paulin. ad Alyp. epist. inter Augustin. 24. n. 2. tom. 2.
(3) Idem ad August. epist. inter Augustin. 25. n. 1. tom. 2.

oleo lætitiæ lumen effundens, densas licet hæreticorum caligines discutis, & lucem veritatis a confusione tenebrarum splendore clarifici sermonis enubilas! Nec veretur Paulinus hos quinque Augustini libros, eodem nomine, quo quinque Moysis libri, appellare (1): *Cum hoc*, inquit, *Pentateucho tuo contra Manichæos me satis armaverit, siqua in alios quoque hostes catholicæ fidei munimina composuisti.... quæso promere mihi de armamentario tuo, & conferre non abnuas arma justitiæ*. Hæc autem Paulini ad Augustinum Epistola ad annum pertinet 395.: quo anno Paulinus presbyter, ut in ea ipse testatur, ad Augustinum presbyterum scribit. Sed quorsum hæc? Nimirum ad coercendam Jansenianorum audaciam, qui auctoritatem librorum, quos ante episcopatum Augustinus scripsit, utpote eorum hæresi prorsus contrariam, magnopere debilitare conantur.

Jansenianorum temeritas de libris ab Augustino nondum Episcopo scriptis coercetur.

CVIII. Anno circiter 397, qui fuit secundus sui Episcopatus annus; siquidem exeunte anno 395. fuit Episcopus ordinatus, scripsit Augustinus contra epistolam Manichæi, quam ejus discipuli Fundamenti epistolam appellabant. De hoc opere suo hæc S. Doctor posteritati mandavit (2): *Liber contra epistolam Manichæi, quam vocant Fundamenti, principia ejus sola redarguit: sed in ceteris illius partibus adnotationes, ubi videbatur, affixæ sunt, quibus tota subvertitur, & quibus commonerer, si quando contra totam scribere vacavisset*. Sequitur grande Augustini opus, quod, Maurinis judicibus, ad annum pertinet 400, in tres supra triginta libros dispertitum contra Faustum Manichæorum Episcopum. De quo opere suo hæc S. Doctor narrat (3): *Contra Faustum Manichæum blasphemantem Legem, & Prophetas, & eorum Deum, & Incarnationem Christi, scripturas autem novi Testamenti, quibus con-*

Augustinus Episcopus scribit librum contra epistolam Manichæi quæ Fundamenti appellata est.

Augustinus Episcopus scribit grande opus in tres supra triginta libros partitum contra Faustum Manichæorum episcopum.

(1) Paulin. epist. inter August. 25. num. 2. tom. 2.
(2) Lib. 2. Retract. cap. 2. tom. 1.
(3) Lib. 2. Retract. cap. 7. num. 1. tom. 1.

convincitur, falsatas esse dicentem, scripsi grande opus, verbis ejus propositis reddens responsiones meas. Triginta & tres disputationes sunt, quas etiam libros cur non dixerim? Nam etsi sunt in eis aliqui perbreves, tamen libri sunt. Quis, qualis, cujas, & unde fuerit Faustus ille, sub initium operis, cum inita a se causa & ratione scribendi, his verbis S. Doctor declarat (1): *Faustus quidam fuit, gente Afer, civitate Milevitanus, eloquio suavis, ingenio callidus, secta Manichæus, ac per hoc nefando errore perversus. Noveram ipse hominem, quemadmodum eum commemoravi in libris Confessionum mearum. Hic quoddam volumen edidit adversus rectam Christianam fidem, & Catholicam veritatem. Quod cum venisset in manus nostras, lectumque esset a fratribus, desideraverant, & jure caritatis, per quam eis servimus, flagitaverunt, ut ei responderemus .... Commodum autem arbitror, sub ejus nomine verba ejus ponere; & sub meo, responsionem meam.* In libris autem Confessionum suarum supra commemoratis narrat Augustinus (2), anno ætatis suæ undetrigesimo, Faustum Chartagine convenisse, cui quæstiones non paucas contra Manichæorum doctrinam, quæ animum suum admodum anxium, solicitumque habebant, dissolvendas proposuit. At Faustus humanioribus dumtaxat literis, hisque leviter tinctus expectationi Augustini minime satisfecit. Hinc factum est, ut ex eo tempore Augustinus a Manichæorum studio admodum refriguerit.

Faustus quis, qualis, cujas, & unde fuerit, inquaque de re scripserit.

Faustus Carthagine ab Augustino anno ætatis suæ undetrigesimo visus quæstionibus sibi ab Augustino propositis non respondit. Hinc S. Doctor magis, magisque a Manichæis abalienatur.

CIX. Acta cum quodam Felice Manichæorum Electo pertinent ad annum Christi 404. Disputatio prima incidit in diem septimam Decembris: cujus est hoc exordium (3): *Honorio Augusto sextum Consule, septimo idus Decembris.* Disputatio secunda habita est die duodecima ejusdem Mensis, quam hæc

Augustini Episcopi acta duobus libris comprehensa contra Felicem Manichæorum Electum.

(1) Aug. lib. 1. contra Faust. Manich. cap. 1. num. 1. tom. 8.
(2) Idem lib. 5. Confes. cap. 3, 6, & 7. tom. 1.
(3) Idem lib. 1. de Act. cum Felic. Manich. c. 1. pag. 333. tom. 8.

hæc verba præcedunt (1): *Cum ventum esset ad diem præstitutum, idest, ad pridie iduum Decembris, res sic agi cæpit in Ecclesia pacis.* De hujusmodi actis hæc S. Doctor posteritati tradidit (2): *Contra Manichæum quemdam nomine Felicem, præsente populo, in Ecclesia biduo disputavi. Hipponem quippe venerat, eumdem seminaturus errorem: unus enim erat ex doctoribus eorum, quamvis ineruditus liberalibus literis, sed tamen versutior Fortunato. Gesta sunt Ecclesiastica, sed inter meos libros computantur. Duo ergo libri sunt, in quorum secundo disputatum est de libero voluntatis arbitrio, sive ad malum operandum, sive ad bonum.* Felicem faustumque exitum, qualem Augustinus optaverat, acta hæc habuerunt. Siquidem Felix manus ad extremum dedit, se victum confessus est, Manichæamque hæresim solemni & publica execratione, coram universo populo repudiavit, publicisque tabulis rei gestæ hoc monumentum reliquit (3). *Ego Felix, qui Manichæo credideram, nunc anathemo eum, & doctrinam ipsius, & spiritum seductorem, qui in illo fuit, qui dixit, Deum partem suam genti tenebrarum miscuisse, & eam tam turpiter liberare, ut virtutes suas transfiguraret in feminas contra masculina, & ipsas iterum in masculos contra feminina dæmonia, ita ut postea reliquias ipsius suæ partis configat in æternum globo tenebrarum. Has omnes, & ceteras blasphemias Manichæi anathemo.* Acta supra commemorata excipit liber S. Doctoris de Natura boni contra Manichæos, quem ineunte anno 405. S. Doctor scripsisse videtur. Tale autem de hoc libro suo testimonium Augustini est (4): *Liber de Natura boni adversus Manichæos, ubi ostenditur naturam incommutabilem Deum esse, ac summum bonum; atque ab illo esse ceteras naturas sive spirituales, sive corporales,*

Felix ob Augustino confutatus repudiat publicè Manichæorum hæresim, & fit catholicus.

Augustinus Episcopus scribit librum de natura boni contra Manichæos.

(1) Aug. lib.2. de Act.cum Felic.Manich.cap.1. p.345. to.8.
(2) Idem lib.2. Retract. cap 8. tom.1.
(3) Idem de Act. cum Felic.Manich.lib.2.c.22.pag.356.to.8.
(4) Idem lib.2. Retract. cap 9. tom.1.

rales, atque omnes, in quantum naturæ sunt, bonas esse: & quid, vel unde sit malum: & quanta mala Manichæi ponant in natura boni, & quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Teterrimas Manichæorum turpitudines, illorum doctrinæ consentaneas, quæ tum in Paphlagonia, tum in Gallis innotuerunt, aperit hic S. Doctor. Turpissima enim, & exsecranda eorum mysteria, non nisi multo post, idest, anno circiter 421, quæ Carthagine ab eis acta sunt, in notitiam S. Doctoris venerunt (1): *Si per coitum*, inquit, *masculorum & feminarum ligatur pars Dei, quam se manducando solvere, & purgare profitentur, cogit eos hujus tam nefandi erroris necessitas, ut non solum de pane, & oleribus, & pomis, quæ sola videntur in manifesto accipere; sed inde etiam solvant & purgent partem Dei, unde per concubitum potest, si feminæ utero concepta fuerit, colligari. Hoc se facere quidam confessi esse in publico judicio perhibentur, non tantum in Paphlagonia, sed etiam in Gallia, sicut a quodam Romæ Christiano catholico audivi. & cum interrogarentur, cujus auctoritate scripturæ ista facerent, hoc de Thesauro suo prodidisse, quod paulo ante commemoravi.* Hic liber, qui Thesaurus inscribitur, in quo fœdissima quæque & turpissima continebantur, Augustino teste, Manichæi est, primi Manichæorum auctoris.

Exsecranda Manichæorum flagitia ab Augustino patefacta.

Exsecrandæ Manichæorum turpitudines in Manichæi libro, qui Thesaurus inscribitur, continebantur.

CX. Extat præterea Augustini liber ad Secundinum Manichæorum Auditorem, hominemque Romanum, qualem se in sua ad Augustinum epistola significat, in qua revocare Augustinum audet ab Ecclesia Catholica, eumque iterum in Manichæorum gregem compellere. De hoc opere suo, quod præ ceteris contra Manichæos probat, quodque ad annum pertinet 405, hoc S. Doctor monumentum illustre posteritati reliquit (2): *Secundinus quidem, non ex eis quos Manichæi Electos, sed ex*

Augustinus Episcopus scribit librum, quem præ ceteris contra Manichæos probat, ad Secundinum gente Romanum, & Manichæorum Auditorem,

(1) S. Aug. lib. de Nat. Boni cap. 47. pag. 367. tom. 8.
(2) Idem lib. 2. Retract. cap. 10. tom. 1.

ex eis quos Auditores vocant, quem nec facie quidem noveram, scripsit ad me velut amicus, honorifice objurgans, quod oppugnarem literis illam hæresim, & admonens ne facerem, atque ad eam potius sectandam exhortans, cum ejus defensione, & fidei catholicæ reprehensione. Huic respondi: sed quia in ejusdem opusculi capite non posui, quis cui scriberet, non in epistolis meis, sed in libris habetur. Illic ab exordio conscripta est etiam ejus epistola. Hujus autem mei voluminis titulus est, Contra Secundinum Manichæum: quod, mea sententia, omnibus, quæ adversus illam pestem scribere potui, facile præpono. Inter Augustini contra Manichæos opera recensetur etiam liber, qui inscribitur, contra adversarium Legis, & Prophetarum, qui ad annum pertinet circiter 420. Quanquam enim liber hic, quem S. Doctor oppugnat, scriptoris nomen non habeat, error tamen qui in eo continetur communis est omnium Manichæorum: cui proluserunt errori, Augustino teste (1), Basilides, Carpocrates, Cerdon, Marcion, Apelles. De communione erroris hæc indicat Sanctus Doctor (2). *Si recenseatis*, inquit, *quæ contra Faustum Manichæum scripsimus, & quæ contra Adimantum, qui Manichæi sectator eum ille viveret fuisse jactatur, multa reperietis, quæ adversus istum pariter valeant.* Et paulo infra (3): *De hac*, inquit, *dementia hominum non considerantium quid loquantur adversus Manichæos multa jam scripsimus.* Sed quisquis fuerit scriptor commemorati libri, certum est, Augustino teste, eidem codici insertum etiam fuisse inchoatum Adamanti librum, qui unus quondam fuerat ex primariis Manichæi discipulis (4): *Jam illud aliud*, inquit, *quod in eodem codice scribi cœperat, Adamanti opus est filius discipuli Manichæi, qui prænomine Addas dictus est.* De hoc autem opere

Augustinus Episcopus ano. 420. scribit librum contra adversarium Legis, & Prophetarum, apud quem Manichæorum errores, & fragmentum libri Adimanti, qui fuit Manichæi discipulus, continetur.

A a hæc

(1) Aug. lib. 2. contr. advers. Leg. & Proph. cap. 12. n. 39. 40. &
(2) Idem ibidem num. 40.
(3) Idem ibidem num. 41.
(4) Idem omnino ibidem.

hæc sunt quæ Augustinus posteritati mandavit (1); *Interea liber quidam cujusdam hæretici, sive Marcionistæ, sive cujuslibet eorum, quorum error opinatur, quod istum mundum non Deus fecerit, nec Deus Legis, quæ data est per Moysen, & Prophetarum ad eamdem legem pertinentium, verus sit Deus, sed pessimus Dæmon, cum apud Carthaginem multis confluentibus, & attentissimè audientibus, in platea maritima legeretur, pervenerunt ad eum fratres studiosissimè Christiani, eumque mihi redarguendum sine ulla dilatione miserunt, multum rogantes, ut nec ego respondere differrem. Refelli eum libris duobus, quos ideo prænotavi, Contra adversarium Legis, & Prophetarum, quia Codex ipse, qui missus est, nomen non habebat auctoris.*

CAPUT XIX.

De Sancti Augustini Doctrina contra novos, & veteres Manichæos.

CXI. AB his, quæ contra aniles Manichæorum fabulas Augustinus docuit, arbitror omnino abstinendum. Talia enim Manichæorum commenta sunt ita absurda, abiona, & perridicula, ut iterata confutatione non egeant. Quæ vero de duobus principiis necessitantibus, deque negata nostræ libertatis indifferentia opinati sunt Manichæi; quoniam hæc præsentis ætatis hæreticorum communia sunt, quibus se Manichæis adjunxerunt, ea, quibus argumentis Augustinus everterit, depromere aggredior. Jam vero S. Augustini doctrinam contra novos, & veteres Manichæos pro libero humanæ voluntatis arbitrio, contrariam principiis voluntatem nostram necessitantibus, ex quibus everso sequitur libertatis indifferentiæ, ab Augustinianis castris in Solem, & aciem produco. Duas esse in homine animas, unam natura bonam, ex qua bona

(1) S.Aug. lib.2. Retract. cap.58. tom.1,

bona omnia; alteram natura malam, ex qua omnia hominis mala inevitabili necessitate consequerentur: hinc sub duplici hoc principio necessitante nullum inesse homini arbitrium liberum olim Manichæi docuerunt. Duas autem contrarias animarum hujusmodi naturas, vires, actiones, verbis illis Matth. 7. 18. significatas esse dicebant: *Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere*. Contra vero ad hæc Augustinus (1): *Ut intelligatis*, inquit, *istas duas arbores sic esse a Domino positas, ut ibi significaretur liberum arbitrium, non naturas esse istas duas arbores, sed voluntates nostras, ipse ait* (Matth. 12. 33.) *in Evangelio*: Aut facite arborem bonam, aut facite arborem malam. *Quis est qui possit facere naturam? Si ergo imperatum est nobis, ut faciamus arborem aut bonam, aut malam, nostrum est eligere, quid velimus*: Item (2): *Istæ duæ arbores*, inquit, *manifestissimè in similitudine duorum hominum positæ sunt, idest, justi, & injusti: quia nisi quisque voluntatem mutaverit, bonum operari non potest. Quod in nostra potestate positum alio loco* (Matth. 12. 33.) *docet, ubi ait*: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum...... *Mala ergo arbor fructus bonos facere non potest, sed ex mala fieri bona potest, ut bonos fructus ferat*. Præterea (3). *Audi*, inquit, *de Libero Arbitrio primo ipsum Dominum, ubi duas arbores commemorat, quarum mentionem ipse fecisti, audi* (Matth. 12. 33.) *dicentem*: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. *Cum ergo dicit, Aut hoc facite, aut illud facite, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim nisi Deus facere arborem potest; sed habet unusquisque in voluntate, aut eligere, quæ bona, & esse arbor bona; aut eligere quæ mala*

(1) S. Aug. lib. contr. Fortunat. Manich. Disp. 2. n. 22. tom. 8.
(2) Idem lib. contr. Adimant. Manich. cap. 26. tom. 8.
(3) Idem lib. 2. de Act. cum Felic. Manich. cap. 4. tom. 8.

mala sunt, & esse arbor mala . . . . . . Hoc ergo Dominus dicens, Aut facite illud, aut facite illud, ostendit esse in potestate quid facerent; & quia si bona eligerent, præmium ejus acciperent; si malam eligerent, pœnam ejus sentirent: semper autem ille justus est, aut remunerator, aut damnator.

Augustini doctrina de Libero Arbitrio contra Manichæos veteres evertit funditus novos Manichæos Lutheranos, & Calvinianos; maximè vero Jansenianos defensores geminæ delectationis necessitantis.

CXII. Per duas illas arbores significari docet contra Manichæos Augustinus liberum nostræ voluntatis arbitrium, quo potestate libera, & electiva concipere possumus tum voluntatem bonam, tum malam, idest, tum bene, tum male velle nostro arbitratu possumus. At hæc Augustini doctrina evertit funditus simul cum Manichæa, Lutheranam, Calvinianam, & Jansenianam sententiam. Solos Jansenianos aggredior, quorum quo callidior, eo periculosior est error. Sub indeliberata delectatione mala, auctoribus Jansenianis, si major est, quam bona, concipere non possumus voluntatem bonam, sed necessario erumpimus in voluntatem malam: item, sub indiliberata delectatione bona, si major est quam mala, concipere non possumus voluntatem malam, sed necessario erumpimus in voluntatem bonam. Sub æqualibus vero contrariisque delectationibus indeliberatis nec in bonam, nec in malam plenam atque completam voluntatem erumpere possumus, sed hinc illinc ambigui, & ancipites fluctuamus, quin aut in deliberatam voluntatem bonam, aut in deliberatam voluntatem malam prodire possimus. Ex his autem efficitur, ut modo ab una inevitabili necessitate elapsi in contrariam alteram ejusdem generis incurramus, modo in impotentiam nobis insuperabilem quidquam deliberatè volendi incidamus. Nullum est igitur in Janseniana duarum delectationum schola liberum nostræ voluntatis arbitrium, quo potestate libera, & electiva, nostroque arbitratu tum voluntatem bonam, tum voluntatem malam concipere valeamus. His autem omnino repugnat supra commemorata contra veteres Manichæos

chæos S. Augustini doctrina. Docet præterea contra veteres Manichæos Augustinus in nostra potestate positum esse mutare voluntatem malam in bonam. At in Janseniana duarum delectationum schola id ab homine fieri omnino non potest. Etenim qui malam voluntatem habet, auctore Jansenio, premitur ab indeliberata delectatione mala, quæ major est indeliberata delectatione bona. Ad mutandam vero voluntatem malam in bonam, auctore eodem, necesse est, ut indeliberata delectatio bona major sit indeliberata delectatione mala. At id, magistro eodem, nullo modo in hominis, sed in sola Dei potestate est. Ergo in Janseniana duarum delectationum schola, adversante & repugnante Augustino, in potestate nostra positum non est, mutare voluntatem malam in bonam.

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de libera hominis potestate mutandi voluntatem malam in bonam evertit funditus novos Manichæos Jansenianos defensores geminæ delectationis necessitantis.

Iterum contra Manichæos veteres Augustinus docet, in uniuscujusque potestate positum esse, aut eligere quæ bona sunt, & esse voluntatis bonæ; aut eligere quæ mala sunt, & esse voluntatis malæ: accepturus præmium si bona elegerit a justo remuneratore; subiturus pœnam, si mala elegerit, a damnatore justo. At in Janseniana duarum delectationum schola, ut homo eligat bona, & sit voluntatis bonæ, necesse est ut habeat indeliberatam delectationem bonam, quæ major sit indeliberata delectatione mala: ut eligat autem mala, sitque voluntatis malæ, necesse est ut habeat indeliberatam delectationem malam, quæ major sit indeliberata delectatione bona. Atqui, auctore Jansenio, neque in hominis potestate est habere indeliberatam delectationem bonam, quæ major sit indeliberata delectatione mala; neque habere indeliberatam delectationem malam, quæ major sit indeliberata delectatione bona. Ergo in Janseniana duarum delectationum schola, neque in hominis potestate est, eligere quæ bona sunt, & esse voluntatis bonæ; neque eligere quæ mala sunt,

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de libera hominis potestate eligendi bonum & malum, de justo præmio & supplicio, de Deo justo damnatore & remuneratore evertit funditus novos Manichæos Jansenianos defensores geminæ delectationis necessitantis,

& esse

& esse voluntatis malæ. Restat igitur ut tam bona, quam mala electio irresistibiliter nobis necessaria sit. Fatetur hæc Jansenius. At si ita est, nullum est bonum meritum in electione bona; nullumque meritum malum, in mala. Ergo nullum præmium accepturi sumus pro electione, & voluntate bona, nullamque sumus subituri pœnam ob electionem, & voluntatem malam. Postremo, quod christianæ aures ferre non possunt, neque justus remunerator Deus est, neque justus damnator.

CXIII. Præterea contra veteres Manichæos hæc Augustinus docet (1). *Motus, quo huc atque illuc voluntas convertitur, nisi esset voluntarius, atque in nostra positus potestate, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora detorques quasi quemdam cardinem voluntatis.* Voluntas igitur hominis, cardinis instar, Augustino auctore, indifferens omnino est: cujus voluntatis motus, quo huc, & illuc fertur, in libera hominis potestate est: quod si non ita se haberet, neque laudandus cum ad superiora, neque culpandus homo esset, cum ad inferiora voluntatem suam, cardinis instar, convertit. At in Janseniana duarum delectationum schola, neque voluntas hominis indifferens est instar cardinis; quoniam sub majori delectatione bona, irresistibiliter ad volendum bonum; sub majori vero delectatione mala, irresistibiliter ad volendum malum necessitatur. Motus vero quo huc & illuc voluntas hominis fertur, non in libera hominis potestate, sed in insuperabili sibi necessitate est. Posita autem insuperabili boni, malique volendi necessitate, neque laudandus homo est, volendo bonum; neque volendo malum, culpandus. De eadem ad bonum, malumque volendum libera hominis potestate plurima sunt, quæ S. Doctor contra Manichæos veteres congerit, quæ in novos pariter Manichæos cadunt.

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de Indifferentia voluntatis humanæ instar cardinis, de motu prorsus libero voluntatis liberæ, de justa hominis laude, & vituperatione, evertit funditus novos Manichæos Jansenianos, defensores geminæ delectationis necessitantis.

(1) S.Aug. lib.3. de Lib. Arb. cap.1. num.3. tom.1.

dunt. Pauca quædam depromo (1): *Nihil*, inquit, *tam in nostra potestate, quam ipsa voluntas est*. Rursum (2). *Voluntas nostra, nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porro quia est in potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habemus, aut potest non esse, quod habemus*. Iterum (3). *Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An forte fallit incautum? Ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? Caveri igitur potest*. Tandem (4): *Peccati reum tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potest, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Quomobrem illæ animæ quidquid faciunt, si natura, non voluntate faciunt, idest, si libero ad faciendum & non faciendum motu animi carent; si denique his abstinendi ab opere suo potestas nulla conceditur, peccatum earum tenere non possumus*. Summa superioris Augustinianæ doctrinæ contra veteres Manichæos talis est. Inest homini libertas, quæ in scholis dicitur contradictionis, qua libero animi motu agere potest, atque non agere; atque idcirco peccare potest, & non peccare. Voluntas nostra in nostra prorsus libera potestate est. Abstinere a peccato unusquisque potest. Habet Anima potestatem liberam abstinendi a peccato. Summæ iniquitatis est, & insaniæ peccati reum habere quemquam, qui non fecit, quod facere non potest. Nulla est peccandi causa, quam cavere quisque non possit. Quæcumque causa in nobis est voluntatis malæ, talis est, ut ei resistere valeamus. At hæc pugnant

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de hominis voluntate posita in ejus libera potestate, de potestate ejusdem resistendi cuiuscumque causæ voluntatis malæ, cavendi peccati, & a peccato abstinendi, de iniquitate & insania affirmantis reum, qui non fecit, quod facere non potuit, evertit funditus novos Manichæos Jansenianos, defensores geminæ delectationis necessitantis.

(1) S. August. lib. 3. de Lib. Arb. cap. 3. num. 7. tom. 1.
(2) Idem ibidem num. 8. (3) Idem ibidem cap. 18. num. 50. tom. 1. (4) Idem lib. de duab. Animab. cap. 12. num. 17. tom. 8.

gnant omnino cum Janseniana duarum delectationum sententia. Etenim in Janseniana schola sub indeliberata delectatione bona, quæ major sit indeliberata delectatione mala, non potest homo peccare: contra vero sub indeliberata delectatione mala, quæ major sit indeliberata delectatione bona, non potest homo non peccare. Ergo in Janseniana sententia caret homo libertate contradictionis, qua libero animi motu peccare potest, & non peccare. Item, auctore Jansenio, voluntas nostra non in potestate nostra, sed in potestate est delectationis illius, quæ viribus, atque pondere superat alteram sibi contrariam, quæque major est altera. Rursus, qui peccat abstinere a peccato omnino non potest. Qui enim peccat, Jansenio auctore, premitur ab indeliberata delectatione mala, quæ major, seu gravior est indeliberata delectatione bona. At sub tali majori pondere abstinere a peccato omnino non potest. Præterea peccati reus dicitur a Jansenio, qui cum minori delectatione bona non restitit majori delectationi malæ. At, auctore eodem, fieri non potest, ut quis cum delectatione minori resistat delectationi majori. Ergo, auctore Jansenio, dicitur peccati reus, qui non fecit, quod facere non potuit. Contra vero, Auctore Augustino, id dicere, & judicare, summæ iniquitatis est, & insaniæ. Tandem, Jansenio auctore, Indeliberata delectatio mala, major indeliberata delectatione bona, est verissima causa peccandi. Hanc autem peccandi causam, auctore eodem, quoniam indeliberata est, cavere omnino non possumus: quoniam vero major est delectatione bona, ei resistere nullo modo valemus. Talia Jansenius affirmat, & prædicat. Talia Augustinus contra novos, & veteres Manichæos detestatur, atque exsecratur.

CXIV. Eamdem incudem cum contra veteres, tum contra novos Manichæos, antequam isti erumperent, sæpenumero Augustinus pertundit.

dit. Audiatur (1): *Quid quisque sectandum*, inquit, *& amplectendum eligat, in voluntate esse positum consistit; nullaque re de arce dominandi, rectoque ordine mentem deponi, nisi voluntate. & est manifestum, non rem ullam, cum ea quisque malè utitur, sed ipsum malè utentem esse arguendum.* Rursum (2): *Si ita data est voluntas libera, ut naturalem habeat istum motum, jam necessitate ad hæc convertitur; neque ulla culpa deprehendi potest, ubi natura, necessitasque dominatur.* Item (3): *Animæ rationali, quæ est in homine, dedit Deus liberum arbitrium; sic enim posset habere meritum, si voluntate, non necessitate boni essemus. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat, ut Deus animæ daret liberum arbitrium.* Iterum (4): *Pœna injusta esset, & præmium, si homo voluntatem non haberet liberam. Debuit autem & in supplicio, & in præmio esse justitia; quoniam hoc unum est bonorum, quæ sunt ex Deo. Debuit igitur Deus dare homini liberum arbitrium.* Præterea (5). *Liberum arbitrium si* (Deus) *non dedisset, judicium puniendi nullum justum esse posset, nec meritum recte faciendi.* Denuo (6): *Neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat quod facere non potest. Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & Antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Demum (7): *Multa sunt, quæ agunt homines mala a quibus eis liberum est abstinere.*

B b Sed

(1) S. August. lib. 1. de Lib. Arb. cap. 2. num. 4. tom. 1.
(2) Idem ibidem lib. 3. cap. 1. num. 5. tom. 1.
(3) Idem lib. contr. Fortun. Manich. disp. 2. num. 2. tom. 8.
(4) Idem lib. 2. de Lib. Arb. cap. 5. num. 3. tom. 1.
(5) Idem lib. contr. Fortun. Manich. disp. 2. num. 20. tom. 8.
(6) Idem lib. de duab. Animab. cap. 11. num. 15. tom. 8.
(7) Idem lib. 1. Oper. Imperf. cont. Julian. Pelagian. sub num. 47. tom. 10.

Sed nulli tam liberum est, quam illi fuit, qui Deo suo, a quo erat conditus rectus, nullo prorsus vitio depravatus adstabat. Hæc est compendiaria S. Doctoris doctrina contraria novis, veteribusque Manichæis, superioribus locis contenta. Rerum electio in libera, arbitra, & domina hominis voluntate est. Nulla culpa deprehendi potest, ubi peccandi necessitas dominatur. Si boni sumus necessitate, nullum in nobis est bonum meritum. Non necessitate, sed libera voluntate bonos nos esse oportet. Injusta pœna, injustum prœmium esset, si non haberet homo voluntatem liberam ab omni prorsus irresistibili sibi necessitate. Sublata libertate ab omni irresistibili necessitate nullum est bonum, malumque meritum; nullum justum prœmium, nullumque justum supplicium. Veritas est naturæ lumine nota, & ab hominibus omnibus decantata, Neminem esse vitupetatione, suppliciove dignum, qui id non faciat, quod facere non potest. In ultima vero sua cum Pelagianis concertatione confirmat Augustinus, quod sæpenumero contra Manichæos docuerat, nimirum, Liberum nobis esse abstinere a peccatis, quæ mala quædam sunt voluntaria, & deliberata: quamquam id magis liberum fuit primo homini in statu naturæ sanæ, quam liberum nobis sit in statu naturæ infirmæ. *Ille enim summa facilitate; nos autem non sine multa difficultate a peccando possumus abstinere*. At hæc repugnant omnino Jansenianæ duarum delectationum doctrinæ. In ea enim Janseniana sententia rerum electio non est in libera arbitra, & domina hominis voluntate, sed in illius est delectationis necessitate, quæ alteram superat, atque major est alterà. Item, Major delectatio mala voluntati prædominatur, eamque ad peccandum necessitat; neque tamen idcirco voluntas hominis posita sub irresistibili peccandi necessitate, Jansenio auctore, excusatur a culpa. Præterea, sub majori delectatione bona, Jan-

Augustini doctrinæ contra veteres Manichæos de electione libera sub arbitra, domina, & libera hominis voluntate, de nulla culpa sub necessitate peccandi, de nullo bono merito sub bonitatis necessitate, de injusto judi-

Janſenio auctore, boni ſumus neceſſitate, neque tamen bonitatis neceſſitas rationem meriti excludit. Rurſum, auctore eodem, ſub majori delectatione mala non habet homo voluntatem liberam ab irreſiſtibili peccandi neceſſitate: ſimiliter ſub majori delectatione bona non habet homo voluntatem liberam ab irreſiſtibili bene vivendi neceſſitate; nihilotamen minus in Janſenianà ſchola, & juſta hominis pœna eſt inevitabili neceſſitate peccantis, & juſtum prœmium ejuſdem eſt inſuperabili neceſſitate piè, juſteque viventis. Iterum, Magiſtro eodem, repugnante & adverſante Auguſtino, ſub irreſiſtibili bene, maleque agendi neceſſitate, permanet adhuc, atque perſiſtit, tum ratio boni, malique meriti, tum ratio juſti prœmii, atque ſupplicii. Denuo, qui habet indeliberatam delectationem malam, majorem indeliberata delectatione bonà, præcepta Dei non ſervat, quòd in eo ſtatu ea ſervare omnino non poteſt; ac proinde non facit, quod facere tunc omnino non poteſt, tamen contra comunem humani generis ſenſum, doctore Janſenio, dignus vituperatione eſt, atque ſupplicio. Denique auctore eodem, Quoties peccamus, ſub indeliberata delectatione mala peccamus, majore indeliberata delectatione bona, ſub qua indeliberata delectatione mala, majore indeliberata delectatione bona, abſtinere a peccando omnino non poſſumus. Negat hæc Auguſtinus, non modo cum Manichæis, ſed etiam cum Pelagianis diſputans.

cio, de injuſto præmio, de injuſto ſupplicio, de nullo bono, maloque merito, de nulla juſta vituperatione ſine arbitrio ab omni inſuperabili neceſſitate, & impotentia libero, evertit funditus novos Manichæos Janſenianos defenſores geminæ delectationis neceſſitantis.

CXV. Proſequitur Auguſtinus veterum Manichæorum confutationem, quà novi pariter Manichæi confutantur. Et primo quidem (1), *Cum ergo noveris*, inquit, *neceſſitatem, qua hic oppreſſus ſum, quo reſpirare non potui, cui reſiſtere non potui, quid me accuſas quaſi peccantem?* Item (2): *Nos ſub fato ſtellarum nullius hominis genesim po-*

 nimus

(1) S. Aug. lib. contr. Fortun. Manich. diſp. 2. n. 21 tom. 8.
(2) Idem lib. 2. contr. Fauſt. Manich. cap. 2. tom. 8.

nimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene, vel male vivimus, propter justum judicium Dei ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Rursum (1): *Si resistere* (Animæ) *non valuerunt, innocentes damnantur: Si valuerunt, nec voluerunt, quid adhuc eam fabulose inducitis naturam mali cum a propria voluntate sit origo peccati? Hoc enim sua culpa, non vi aliena fecerunt, quod cum possent malo resistere, voluerunt. Si ergo voluerunt, voluntatis crimen est, non necessitatis.* Iterum (2): *Sed in hac*, inquit Manichæus, *ferie sæculorum jam malis permista, atque concreta* (Anima) *non obtemperavit præceptis. Quæramus quare? Si propria voluntate, vera culpa, & justa pœna. Sed jam si voluntas est rea, nulla est ad peccandum natura contraria; & ideo Manichæorum omnis convicta est, & eversa fallacia. Si autem ab hoste oppressa, quo missa est, si aliena mala superata, cui resistere non valuerat, iniqua pœna, & magna crudelitas.* Denique Juliano Pelagiano exprobranti sibi Manichæorum errorem de necessitate peccandi sic Augustinus respondet (3). *Regeneratos autem absit, ut redigamus, sicut calumniaris, sub necessitate criminum, Deo largiente dona virtutum. Quamvis ergo aliam legem videamus in membris nostris, repugnantem legi mentis nostræ; non solum tamen necessitatem criminis non habet* (homo); *sed habet potius honorem laudis, cujus spiritus, spirituali munere adjutus, adversus carnis concupiscentiam concupiscit.* Docet igitur primo contra veteres Manichæos Augustinus, injustam esse accusationem peccantis, si causæ illi resistere is non potest, qua inducitur ad peccandum. Jam vero in Janseniana duarum delectationum schola, causa quæ hominem ad peccandum inducit, est indeliberata delectatio mala, quæ major est indeliberata delectatione bonâ. Atqui, Jansenio auctore, nec resistere potest homo indeliberatæ

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de injusta accusatione peccantis sub irresistibili peccandi necessitate; de arbitrio, quo bene, vel male vivimus, ab omni necessitatis vinculo libero, ne sit injustum judicium Dei in decernendis præmiis, atque suppliciis; de innocentia animarum, ca-

(1) S. August. lib. 22. contra Faust. Manich. cap. 28. tom. 8.
(2) Idem ibidem ex p. 98. tom. 8.
(3) Idem lib. 6. contra Julian. Pelagian. cap. 13. n. 74. tom. 10.

ratæ delectationi malæ, quæ major est indeliberata delectatione bona; nec comparare sibi majorem delectationem bonam, qua resistere possit minori delectationi malæ. Ergo in Janseniana duarum delectationum scholâ injustâ est accusatio peccantis, quod Augustinus cum Ecclesia Catholica detestatur. Docet secundo Augustinus liberum nostræ voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel malè vivimus, ab omni necessitatis vinculo vindicandum esse, ne in decernendis prœmiis, atque suppliciis Dei judicium injustum sit. Docet ergo Augustinus, liberum nostræ voluntatis arbitrium, quo vel bene, vel male vivimus, vindicandum esse tum a Janseniana delectatione bona, quæ cum major est malâ, irresistibiliter nos ad bene vivendum necessitat; tum a Janseniana delectatione mala, quæ, cum major est bonâ, irresistibiliter nos necessitat ad vivendum malè: ne in decernendis prœmiis, atque suppliciis Dei judicium injustum sit. Docet tertio Augustinus, Si resistere malo non valent animæ, innocentes damnantur; si autem resistere nolunt, quod, si velint, possunt, earum crimen liberæ voluntatis est, non irresistibilis necessitatis. At in Janseniana duarum delectationum schola indeliberatæ delectationi malæ, quæ major est indeliberata delectatione bona, resistere non valent animæ; ergo in ea schola innocentes damnantur. Item delectationi hujusmodi, in eadem schola, ita resistere nolunt animæ, ut id velle non possint; ergo, in eadem schola, earum crimen non liberæ voluntatis est, sed irresistibilis necessitatis. Tandem Augustinus docet, regeneratos non esse sub necessitate criminum; tantumque abest, ut necessitatem criminis christianus habeat, ut resistendo, ut potest, delectationi malæ, potius habeat honorem laudis. At in Janseniana duarum delectationum schola, quoties regenerati peccant, indeliberatam habent delectationem bonam, quæ minor est indeliberata delectatione mala. Atqui, auctore Jansenio, cum minori delectatione bona ne-

Augustinus, de utrumque damnatione injusta, quæ malo resistere non potuerunt; de peccato, quod crimen est liberæ voluntatis, non irresistibilis necessitatis; de iniqua pœna, & magna crudelitate adversus animam quæ resistere malo non potuit; de nulla necessitate criminis sub concupiscentia mala, quæ indeliberata est delectatio mala, evertit funditus novos Manichæos Jansenianos defensores geminæ delectationis necessitantis.

nequeunt resistere majori delectationi malæ. Ergo in eo statu necessario versantur, in quo necessario peccant; ac proinde necessitatem criminis habent, nec habere possunt honorem laudis.

CXVI. Alia restant tela, quæ S. Augustinus contra novos, & veteres Manichæos intorquet. Hæc sunt hujusmodi (1): *Animarum duo esse genera* (Manichæi dicunt) *quòd in deliberando nunc in malam partem, nunc in bonam nutat assensio*. (Augustinus respondet) *Cur non magis hoc signum est unius animæ, quæ libera illa voluntate huc & huc ferri, hinc atque hinc referri potest? Nam mihi cum accidit, unum me esse sentio, utrumque considerantem, alterutrum eligentem: sed plerumque illud libet, hoc decet, quorum nos in media positi fluctuamus.* Item (2): *Non faciebam quod & incomparabili affectu amplius mihi placebat, & mox ut vellem possem, quia mox ut vellem utique vellem.* Rursum (3). *Sicut ratio vera docet, meliorem esse naturam,* (Angelorum) *quam prorsus nihil delectat illicitum; ita ratio vera nihilominus docet, etiam illam* (hominum) *bonam esse, quæ habet in potestate illicitam delectationem, si extiterit, ita cohibere, ut non solum de ceteris licitis, rectèque factis, verum etiam de ipsius pravæ delectationis cohibitione lætetur.* Iterum (4): *Si nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccat ergo qui delectationem illiciti relaxat potius, quam refrænat.... In eo genere istæ rationalia facta sunt, ut inesset eis possibilitas frænandi delectationem ab illicito, quam non frænando peccaverant. Magna est itaque & humana creatura, quandoquidem per eam possibilitatem instauratur, per quam si voluisset, non cecidisset.* Præterea (5): *Non utique in cupiditatibus frænandis continentia laboraret, si nihil nos contra quod decet, liberet:*

(1) S. August. lib. de duab Animab. cap. 13. num. 19. tom. 8.
(2) Idem lib. 8. Confes. cap. 10. num. 20. tom. 1.
(3) Idem lib. 11. de Genel. ad Litter. cap. 7. tom. 3.
(4) Idem lib. 22. contra Faust. Manich. cap. 28. tom. 8.
(5) Idem lib. de Continent. cap. 3. num. 6. tom. 6.

ferret: Clamat Apostolus (Rom. 7. 18.) Scio, *inquit*, quia non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. *Nunc enim fieri bonum potest, ut malæ concupiscentiæ non consentiatur: perficietur autem bonum, quando ipsa mala concupiscentia finietur*. Denique (1). *Tales milites apostolica tuba isto sonitu accendit in prælium*: Non ergo regnet, (*inquit Rom. 6. 12.*) peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus . . . . . *Tunc enim regnare ostenditur, si desideriis ejus obeditur. Est ergo in nobis peccati concupiscentia, quæ non est permittenda regnare: sunt ejus desideria, quibus non est obediendum.*

CXVII. Jam vero, Augustino auctore, Anima voluntate libera huc & huc ferri, hinc atque illinc referri potest. Contra, Jansenio auctore, nec sub inæqualibus, nec sub æqualibus contrariis delectationibus indeliberatis, Anima voluntate libera huc & huc ferri, hinc atque illinc referri potest. Si enim delectationes hujusmodi æquales sunt, in neutram partem Anima moveri potest. Sin autem sunt inæquales, eo necessario Anima fertur, quo delectatio major irresistibiliter eam impellit; & ab eo necessario refertur, a quo delectatio major irresistibiliter eam repellit. Hæc Jansenius. Narrat præterea de seipso Augustinus, cum deliberaret de instituendo novo cursu & genere vitæ, medium se expertum esse inter malam voluptatis delectationem, & delectationem bonam castitatis. At vero multo majore delectatione bona, quam mala, se perfusum, ac delinitum sensisse testatur; nihilo tamen minus, repudiata delectatione bona multo majore, secutum se esse affirmat delectationem malam, quamvis multo minorem, non alia de causa, nisi quia voluit. At, auctore Jansenio, id fieri omnino non potest: Quod enim amplius nos delectat, & quidem delectatione indeliberata, ut malus

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de libertate Indifferentiæ, qua potest Anima huc & huc ferri, hinc atque illinc referri; de indeliberata delectatione mala multo minore, qua Augustinus ipse olim restitit indeliberatæ delectationi bonæ multo majori; de bona natura hominis, qui semper habet in potestate indeliberatam delectationem malam, statim atque exoriatur cohibere, & cohibendo læ[...]tas; de libera hominis potestate frænandi indeliberatam delectationem ma-

(1) S. August. lib. de Continen. cap. 3, num. 8. tom. 6.

lius Augustini interpres sæpenumero inculcat, secundum id operemur necesse est, & quidem necessitate nobis irresistibili. Item, Augustino auctore, In potestate hominis est turpem delectationem, si extiterit, cohibere, atque ita cohibere, ut de nostra pravæ delectationis cohibitione lætemur. Contra vero, auctore Jansenio, si delectatio mala extiterit major quam bona, in potestate nostra non est eam cohibere; sin minor extiterit, non in nostra, sed in majoris delectationis bonæ potestate, seu potius necessitate est cohibere malam, quin lætari unquam possimus, tanquam de nostra delectationis malæ cohibitione. Iterum, Auctore Augustino, inest homini ratione prædito potestas frænandi indeliberatam delectationem malam, quam non frænando peccat. Contra vero, auctore Jansenio, caret homo ratione præditus potestate frænandi delectationem malam, cum major est bona, quam tunc non frænando, non peccat, quoniam non libere, sed necessario majorem delectationem malam non frænat. Rursum, Augustino auctore, laborat nunc continentia in frænandis malis cupiditatibus. Fieri enim nunc potest a nobis, ut indeliberatæ delectationi malæ non consentiamus; quamvis nunc fieri non possit a nobis, ut indeliberata delectatione mala careamus. Contra vero, auctore Jansenio, si cupiditates malæ sunt robustiores quam bonæ, frustra in eis frænandis continentia laborat; quoniam tunc eas frænare omnino non potest: nec fieri nunc potest, ut indeliberatæ delectationi malæ, quoties major est bona, non consentiamus. Tandem, auctore Augustino, indeliberata delectatio mala, quæ hereditaria inest in nobis, non est permittenda regnare in nobis, nec ejus motibus est obediendum a nobis. Contra vero, auctore Jansenio, si indeliberata dilectatio mala major est indeliberata delectatione bona, fieri omnino a nobis non potest, quin regnet in nobis; nec fieri potest a nobis, ut ejus motibus non obediatur a nobis.

lam, quam non frænando peccamus; De continentiæ labore in frænanda indeliberata delectatione mala, cui non consentiendi potestas est, quamvis eb carendi non sit potestas; de indeliberata delectatione mala, cui semper jubemur, atque idcirco semper possumus non obedire, nec, ut in nobis regnet, permittere, evertit funditus novos Manichæos Jansenianos defensores geminæ delectationis necessitantis.

Per-

CXVIII. Pergit Augustinus contra novos, & veteres Manichæos, & ait (1); *Omnibus prorsus delectationibus concupiscentiæ, quæ adversantur delectationi sapientiæ, coercendis, atque sanandis invigilat officium continentiæ. Unde angustius eam sine dubitatione metiuntur, qui solas libidines corporis cohibere definiunt: melius profecto illi, qui non addunt corporis, sed generaliter libidinem, sive cupiditatem regendam dicunt, ad continentiam pertinere.* Item (2): *Invictam*, inquit, *nunquam ego voluptatem carnis, sicut solere me insimulas, dixi. Ambo eam & debere, & posse dicimus vinci; Sed tu tamquam bonum repugnante alio bono: ego tamquam malum repugnante bono: & tu viribus propriis, ego gratia Salvatoris*. Rursum (3): *Concupiscentias malas, quibus, si bene vivimus, non consentimus, tamen esse non negamus in nobis. Castigandæ sunt, expugnandæ sunt, vincendæ sunt; tamen sunt, nec alienæ sunt. Nec bona ista nostra, sed mala sunt:* Præterea (4). *Restat* (post baptismum) *cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas; sed manet infirmitas. Inest, titillat delectatio illicitæ concupiscentiæ. Pugna, resiste, noli consentire; & impletur hic illud* (Ecclesiast. 18. 30.) *Post concupiscentias tuas non eas*. Ad extremum placet concludere aurea S. Jo: Damasceni summi, optimique theologi sententia, ex præclarissimo ejus contra Manichæos dialogo excerpta, quæ est hujusmodi (5): *Si malum bono adversatur, ut ens enti, principium principio, substantia substantiæ, &, ut more vestro loquar, Deus Deo: sane cum in nostra potestate sit bonum, aut malum facere, in nostra quoque potestate situm erit bono, vel malo*

 pal-

(1) S. August. lib. de Continen. cap. 13. num 28. tom. 6.
(2) Idem lib. 5. contr. Julian. Pelagian. cap. 8. n. 32. tom. 10.
(3) Idem lib 6. contr. Julian. Pelagian. cap 13. n. 74 tom. 10.
(4) Idem Serm. 155. contra Pelagian. cap 9. num 9. tom. 5.
(5) S. Jo. Damasc. Dial. contr. Manich. num. 76. pag 461. edit. Lequien.

palmam dare, nosque in causa erimus, ut alter alterum superet.

Augustini doctrina contra veteres Manichæos de officio continentiæ, ad quam pertinet omnes indeliberatas delectationes malas regere, coercere, & cohibere; de indeliberata delectatione mala, quam semper vincere, ac superare Dei gratia possumus, & debemus; de indeliberatis, quæ in nobis insunt, delectationibus malis, a nobis frænandis, castigandis, vincendis, & expugnandis; de conflictu, quem habemus cum malis delectationibus indeliberatis, quibus non consentire, sed resistere, ac repugnare semper jubemur, atque hinc semper possumus, evertit funditus novos Manichæos Jansenianos, defensores geminæ delectationis necessitantis.

CXIX. Docet prima sententia Augustinus ad continentiæ officium pertinere indeliberatas omnes delectationes malas contrarias indeliberatis delectationibus bonis, regere, coercere, cohibere. At si contingat, quod sæpenumero usuvenit, indeliberatas delectationes malas robustiores, validioresque esse indeliberatis delectationibus bonis, tunc, auctore Jansenio, extra potestatem continentiæ est, atque idcirco ad continentiæ officium pro eo casu minime pertinet, regere, coercere, ac cohibere indeliberatas delectationes malas contrarias indeliberatis delectationibus bonis. Quocirca Augustini doctrina de continentia delectationibus Jansenianæ doctrinæ prorsus repugnat. Item, Manichæorum errorem Julianus Pelagianus Augustino exprobrabat, perinde ac si S. Doctor doceret, talem esse indeliberatam delectationem malam, ut eam vincere, & superare non valeamus. Ad hanc Juliani calumniam S. Doctor respondet, indeliberatam delectationem malam, cui repugnat indeliberata delectatio bona, talem esse, ut eam semper vincere, ac superare Dei gratia possimus, ac debeamus. Contra vero, auctore Jansenio, si indeliberata delectatio mala major est indeliberata delectatione bona, quæ Dei gratia est, tunc malam hujusmodi delectationem vincere & superare omnino non possumus: quod si non possumus, nec debemus. Augustini ergo doctrina de nabus hujusmodi delectationibus contraria omnino est Jansenianæ doctrinæ. Iterum, Juliani calumniam diluens libera voce Augustinus affirmat, Indeliberatas delectationes malas nobis penitus inhærentes, castigandas, frænandas, expugnandas a nobis esse. Ergo, auctore Augustino, eas castigare, frænare, expugnare, & vincere semper possumus. Si enim non possumus, nec debemus. Quis enim debet

debet id, quod non potest? Contra vero, auctore Jansenio, quoties malæ hujusmodi delectationes robustiores validioresque sunt contrariis delectationibus bonis, quod sæpenumero usuvenit, tunc fieri omnino non potest, ut eas castigemus, frænemus, expugnemus, vincamus. Pugnat igitur sana Augustini doctrina cum doctrina insana Jansenii.

CXX. Fatetur præterea Augustinus nos etsi baptizatos in perpetuo conflictu cum indeliberatis delectationibus malis versari; in eoque conflictu nos ad pugnandum, ad resistendum, ad dissentiendum magnopere cohortatur: illudque Ecclesiastici præceptum nobis proponit, *Post concupiscentias tuas non eas*; quod perinde se habet, ac, Ne consentias indeliberatis tuis delectationibus malis. At in Janseniana duarum delectationum doctrina nullum locum habent hæc Augustini consilia, & cohortationes. Si enim indeliberatæ delectationes malæ viribus superant indeliberatas delectationes bonas, quod non raro contingit, fieri tunc non potest, quin expugnemur, quin cedamus, quin succumbamus: nobisque præcipitur quod fieri nobis omnino non potest. In explicando igitur duarum delectationum conflictu, maximè, accerrimeque inter se confligunt duæ prorsus contrariæ doctrinæ, Augustiniana scilicet, & Janseniana, victore semper, & triumphatore Augustino. Hactenus subtructis, & excitatis contra novos potissimum Manichæos Jansenianos Augustinianis molibus auctoritatem Damasceni contra veteres Manichæos pugnantis, tamquam fastigium impono. Damasceno auctore in nostra libera potestate positum est, de duobus principiis inter se contrariis, vel bono, vel malo palmam dare; nosque in causa sumus, ut unum alterum superet. Ergo, Damasceno auctore, in nostra libera potestate positum est vel bonæ, vel malæ delectationi palmam, victoriamque dare: nosque in causa sumus, ut altera alteram supe-

Damasceni doctrina contra veteres Manichæos de libera potestate nostra de duobus contrariis, atque idcirco de duobus indeliberatis delectationib. contrariis, vel bonæ vel malæ palmam & victo-

ſuperet. At in Janſeniana duarum delectationum ſcholâ, ſi delectatio utraque æqualis eſt, neutri poſſumus palmam dare: ſin vero ſint inæquales, vel bona eſt minor mala, vel mala eſt minor bona? Si bona eſt minor mala, tunc bonæ non poſſumus; ſi mala eſt minor bona, tunc malæ non poſſumus palmam dare: neque nos ſumus in cauſa, ut altera alteram ſuperet; ſed ipſæ potius in cauſa ſunt, ut modo ab una, modo ab altera, quæ viribus prævaluerit, ſuperemur.

riam dare: noſque in cauſa eſſe, ut una delectatio ſuperet alteram, evertit funditus novos Manichæos Janſenianos defenſores geminæ delectationis neceſſitantis.

F I N I S.

INDEX

INDEX

RERUM, ET VERBORUM.

A

B

C

Calvi-

Gela-

G

H

I

L

M

Mani-

N

O

P